


F
XIV

DE PELLAGRA

CAJETANI STRAMBIO
M. D.

OBSERVATIONES

In Regio Pellagrosorum Nosocomio factæ
a Calendis Junii anni MDCCLXXXIV.
usque ad finem anni MDCCLXXXV.



MOrbum in Agro Mediolanensi endemicum, quem Nostrates *Pellagram* appellant, observare cum primum in hoc Nosocomio AUGUSTA PIETATE nuperrime instituto aggrederer, non parum anceps hæsi; qua via insisterem; de morbo enim agebatur, cujus eradicativa curatio Dogmaticos latet æque, ac Empiricos, cum primi ejusdem caussam proximam ignorent, alii autem nondum ab analogia, aut a lædentium, & juvantium consideratione quidquam deducere potuerint. Quod si ea, quæ de hoc morbo typis edita fuere, consulebam, ne morbi quidem veram, graphicam, & naturalem historiam ibi inveniebam, in qua primum nostræ Artis incrementum Sydendamio teste

teste consistit. Filum Ariadneum, quo me ab obscuro tramite extricarem, perpendenti, ad rem mihi visæ sunt eæ, quas tradit Baglivius, regulæ instituendi, & promovendi historiam morborum, ab eademque deducendi aphorismos curativos.

„ Infinita particularium exploratio, & de-
„ scriptio, ait ipse, (a) prima basis est historiæ
„ morbi. Hanc igitur tentare primo debet hi-
„ storiographus, pluresque annos impendere
„ in copioso observationum numero compa-
„ rando. Tunc nihil cogitet, neque de afferen-
„ da ornato dicendi genere Lectoribus delec-
„ tatione, neque ægrotis utilitate, sed tan-
„ tummodo, ut tanta particularium copia con-
„ geratur, quanta sufficit ad vera deducenda
„ axiomata . . . . observationes describat
„ stylo rudi, & incompto . . . . minima
„ quæque annotet quantumvis vilia . . . . . nil
„ de suo addat.

„ Comparata autem, pergit idem, (b) jam
„ sufficienti particularium copia, eademque
de-

(a) Prax. Medic. L. II. Cap. 3. §. 2.
(b) Ibid. §. 5.

„ debite ordinata, separata, ac digesta, ob-
„ servator demum judicio suo uti, & de con-
„ stituendis præceptis generalibus summam,
„ & pondus artis revera continentibus cogi-
„ tare incipiat.

Quæ Baglivius Hippocratis vestigia secutus tradidit observandi præcepta, eadem mihimetipsi proposui, ut munus, quo fungor, quoquo modo explerem. Hisce igitur adamussim inhærens primum peculiares observationes, quas per multos menses congessi, nulla dicendi pompa descripsi; quod dum præstiti, morbi principium, progressum, accidentia de die in diem apparentia, remedia adhibita, exitum, verbo omnia antecedentia, concomitantia, & consequentia ingenue, & accuratissime annotavi, exquisitam Pictorum, ut ait Anglus Hippocrates, industriam imitando, qui vel nævos, & levissimas maculas in imagine exprimunt.

Deinde sufficienti observationum copia collecta cœpi a particularibus (quod est alterum observatoris munus) generalia deducere. Etsi perdifficile opus aggredi, nonnisi a summis viris exequendum, probe noscerem; attamen per-

per gradatam ascensionem id quoque sequenti methodo tentavi. Primo peculiares historias evolvendo, quæ a morbo ipso, quæ ab ejus proxima caussa, quæque ab alio symptomate proficiscantur symptomata examinavi, necessaria a non necessariis distinguendo. Secundo quæ aptum ad pellagram concipiendam reddant corpus, quæque ipsam inferant, caussas perpendi. Tertio omnia, quæ morbum concomitari, quæque eum præcedere solent, rursus ad trutinam revocando, liber partium studio, nullique opinioni addictus proximam pellagræ caussam a posteriori æque, ac a priori investigare conatus sum. Tandem eas, quas tentabundus periclitatus sum, medendi methodos revolvendo, quæ profuerint, quæque non, ingenue disquisivi.

Hæc, quæ scriptis seorsum tradideram, nunc in unum præpropera festinatione collecta summis in arte viris judicanda submitto, nulla ad philologiam, aut ornamenta habita ratione.

PARS

PARS PRIOR.

PECULIARES OBSERVATIONES

A Calendis Junii anni 1784. *ad finem anni* 1785. *Nosocomium hoc ingressi sunt* 207. *Pellagrosi*, *mares nempe* 104., *&* *fœminæ* 103. *Ex his mortem obiere mares* 12., *&* 11. *fœminæ*. *Apparentem sanitatem potiti*, *aut saltem levamen aliquod experti hinc abierunt mares* 73., *&* *fœminæ* 71; *reliqui adhuc decumbunt*.

SECTIONES ANATOMICÆ.

CADAVER I.



Oannes Proverbio loci *S. Vittore* ann. 60. a pluribus annis pellagrosus Nosocomium intravit die 1. Junii 1784. delirans cum pulsibus adeo exiguis, ut vix numerari possent. Mixtura cardiaca ei præscripta fuit ex aq. meliss., confect. alk., liq. c. c. succin., & syr. cort. citri: verum lethargo obrutus die 5. Junii mortuus est.

Delirio
mistura cardiac
Letargo. Mor

Cra-

Cranio exsecto vasa piæ meningis apparuerunt turgida, serum autem flavescens plurimum repertum est meninges inter, & cerebrum, nec non in ipsius cerebri ventriculis. In thorace omnia fuerunt sana, excepta pleuræ cum pulmone sinistro adhæsione. Recluso abdomine hepar quidem mole visum est magnum; at intus examinatum nullum sensibile exhibuit vitium, quod de liene quoque dicendum est, qui quamquam laxiori, quam solet, textura forte donatus levi manu solveretur, certa tamen gangrænæ, aut alterius morbosæ affectionis signa meo judicio minime præbebat.

CADAVER II.

FRancisca Galleazzi loci *Venzago* annorum 50. (cujus filia materni morbi fert signa) pellagræ morbo jamdudum laborabat; unde huc ingressa est die 5. Junii 1784. debilis, capitis vertiginosum susurrum, & agrypniam conquerens, crasso tamen habitu corporis prædita. Brevi accesserunt anomala febris, delirium, risus sardonicus, carphologia, tendinum subsultus, urinæ paucitas. Tunc sequentem mixturam præscripsi.

℞. *Aq. flor. til. unc. jv.*
Liq. anod. Hoffman. drach. j.
Syrup. aperitiv. unc. j. & sem.
M. absumat in die cochleatim.

Multoties repetitum fuit hoc medicamentum, sed die 15. ejusdem mensis ægra fato cessit.

Post viginti quatuor a morte horas secto cadavere ob intolerabilem fœtorem (fervens enim erat anni tem-

pestas

pestas) cerebrum tantum observavi. Cranii integumenta in sinistro capitis latere erant fere coriacea, & crassa. Seri copia aderat in ventriculis cerebri, & sero quoque replebatur cavitas cerebelli, quod leviter inflammatum rubebat.

CADAVER III.

MAria Antonia Corbella annorum 52. Oppidi *Legnano* optima donata temperie, victu non admodum pravo alebatur. Anno 1766. conjugis mortem ploranti, cum nutrix esset, lac ei subito evanuit, & superveniente æstate sensit sibi manus aliquantulum epidermide spoliari. Subsequentibus annis nil ei apparuit. Tandem anno 1779. cessantibus menstruis, quibus antea semper regulariter gavisa fuerat, iterum extinctum morbum reviviscere vidit in manibus.

Posthæc quovis vere manus, & pedes pellagrosa corripiebantur desquamatione non sine morbosis nervosi systematis affectionibus; accesserunt enim vertigo, susurrus aurium, asthenia, tensio ad latera, scelotyrbe festinans.

Hæc omnia, etsi eam reddidissent laboribus impotem, & fere semper eam lecto cogerent, tamen anno 1784. vere de more apparuit solita manuum, & pedum deturpatio, & cæteris symptomatibus auctis febris quædam etiam adjuncta est erraticæ primum, dein quotidianæ remittentis typum servans.

Pulsus duri, color faciei ruber, calor urens diathesin quamdam phlogisticam indicare videbantur; unde die

1779
Vertigine
Tinnito
Tensione ai lati
dell'addome
Scelotirbe
Indi 1784
Febbre
Calore urente

29. maii in Nosocomio acceptæ venam brachii jussi secari, ex qua sanguis bonæ consistentiæ fluxit.

Per dies quindecim serum lactis cichoreaceum ad lib. j ÷ præscripsi, non omissis hora somni paregoricis, quæ somnum conciliarent, & sanguinis temperarent fervorem.

Febris intermittere aliquando videbatur, unde die 15. junii corticem Peruvianum tincturæ forma tentavi, sed incassum.

Diarrea

Versus finem ejusdem mensis alvus facta est nimis frequens, & mollis, febre cum pulsibus duriusculis durante, ideoque sequens præscriptum fuit.

Bocca lingua e fauci flogosate garrulità

℞. *Seri lac. vacc. dep. lib. j.* ÷
Spir. sulphur. per campan. drach. j.
Syrup. diacod. unc. ij.
Cap. intra nychthemerum.

Sistitur alvus quidem, sed os, lingua, fauces ardore, & excoriatione corripiuntur, & quædam garrulitas delirium prænuntiat.

Die 3. julii fletus, & cachinni sibi invicem succedunt.

Delirio, febbre aumentata carfologia, sussulti di tendini

Die 4. delirium oritur, augetur febris, & pulsus fiunt duri. Sanguinis missio exhibet plurimum seri, densumque cruorem phlogistica crusta obtectum. Ter celebrata venæ sectione, secta etiam jugulari, semper idem sanguis apparet, sed pulsibus adhuc duris delirium ferox evadit. Hirudines temporibus, & nuchæ vesicans applicitum nullum ferunt levamen; unde carphologia, tendinum subsultus, dysphagia, clonicæ convulsiones mortem appropinquantem denotant, quæ evenit die 13. julii.

No-

Notandum, quod fere toto morbi decursu ea ardorem pedum molestum, & oris muriaticum saporem conquesta fuerit, pluriesque, dum residere conabatur, dextrorsum invita trahi se senserit.

Nil notandum exhibuit cadaveris inspectio præter tabidam consumptionem. Serum aderat sub meningibus; piæ vasa inflammatione turgebant; ventriculi sero quoque replebantur, nec deerat in cerebelli cavo. Sinister pulmo adhærebat pleuræ, & mediastino. Intestina aere erant distenta. Cætera sana.

CADAVER IV.

MArgarita Fomara loci *Bienate* ann. circiter 50. die 26. julii ingressa est adeo viribus destituta, ut morti videretur proxima. Manus desquamationis gerebant signa, pulsus erant exiles, aderat diarrhœa, & macula nigra in imo dorso gangrænam minabatur. Vinum, & mixtura cardiaca ex aq. menth., & tot. citr., diascord. Fracastor., ac extract. chin. chin. vires paullulum erexere. Verum gangræna quaquaversus extendebatur, unde pluries incassum chin. chin. extracto repetito, ad camphoram intus, & extus deveni juxta methodum Collinii.

Vix per dies duos hac tentata, die 19. augusti inopinato vitæ finem imposuit.

Cadaveris extremitates flexiles erant, & maculis lividis gangrænescentibus totum fere dorsum signabatur. Omnia ventris, & thoracis viscera secundum naturam se habebant. Cranio autem exsecto, seri flavescentis copia

reperiebatur inter piam meningem, & cerebri substantiam in dextero potissimum hemisphærio; plurimumque etiam aderat sub septo tentorio.

CADAVER V.

JOannes Vimercati loci *Rescalda* annorum 75. temperamento plethorico, & procera statura donatus, cum die 29. maii 1784. Nosocomium hoc ingrederetur, a pluribus annis pellagræ morbo matrem suam occubuisse narrabat, se autem bono victu sæpe utentem, vino plusquam decet indulsisse.

1778. Tali gena dextera spasmo pluries in die corripi cœpit, ut neque manducare, neque tussire, neque exſpuere, neque nares emungere libere posset, quin in eadem gena dolores orirentur atroces, dextrosum ore quoque distorto.

1783. Vere adventante vertigo accessit, & dorsum manuum, levi erysipelate primo correptum, leviter dein desquamatum est.

1784. Non modo manuum, sed nasi etiam, & colli epidermis in squamas abiit, papulis etiam per totum corpus prodeuntibus; hinc vertigo gravior, animi quædam stupiditas, bulimia, sapor oris muriaticus, alvi fluxus, labiorum pallor supervenere.

Ut spasmo succurrerem, qui eum atrocius, quam præteritis solebat annis, vexabat, hirudines tempori dextero primum, deinde post aurem vesicans emplastrum, tandem dentis, qui eodem in latere carie afficiebatur, evulsionem præscripsi, & interea seri lactis fumaria alterati

terati lib. j. ÷ quolibet mane sumebat. Vix hæc profuere; imo spasmodicus dolor ad brachium dexterum, dextrumque crus protendebatur, & levi orta tussicula, salsum, fluidumque sputum ejiciebatur.

Post purgans ex manna, arnicæ florum infuso usus est ad plures dies methodo Collinii, sed & hoc remedii genus nil profuit, dolor enim, præter jam dictas partes, collum, totumque spinæ tractum occupavit.

Verum dum nervorum affectioni opitulari tentabam, pulmones morbus fortius invasit, tussis facta est molestior, accessit febris cum pulsibus duris, & respirandi difficultate. Ter ei secta est vena, & sanguis extractus plurimum seri, densumque cruorem crusta tectum phlogistica exhibuit. Pro potu communi decoctioni rad. altheæ, flor. verbasc., & capill. vener. oxymel simplex addebatur, & æger cochleatim lambebat eclegma ex oleo amyg. dul., & diacodii syrupo.

Horum usu febris ex vehementi mitis, ex continenti remittens evasit, sed tussis adhuc durabat salsum, viscidum, striis sanguineis interspersum pus ejiciens, somnumque tollens, etsi paregoricis emulsionibus hunc conciliare studerem.

Spasmi interim, & dolores prosequebantur, maculæque sanguineæ sugillationis adinstar latæ in brachiis apparebant. Sed ad pulmonum affectionem tota dirigenda curatio videbatur: unde jussi, ut quovis mane aq. calc. unc. jv. cum lactis tantillo ei præberentur, quod cum quatuor tantum vicibus fecisset, ruit in pejus, & die 23. augusti leviter desipiens vitam cum morte commutavit.

Tabidum cadaver exhibuit dorsum, collum, & capitis sinistrum latus lividum ob sanguinis effusi copiam; maculæ illæ autem, quæ eruperant in brachiis, sanguinem effusum quoque continebant. Secto cranio seri flavescentis plurimum apparuit inter duram, & piam meningem; nec deerat piam inter, & cerebri circumvolutiones in sinistro præsertim latere. Ventriculi laterales valde dilatati erant, & sero quoque scatebant; ossea quædam lamellula nati dexteræ adhærebat, sanguifera vasa meningum, & plexus choroidei turgebant; cerebellum sero plurimo in spinæ tubum descendente alluebatur. Thoracis cavitatem sinistram inveni sero sanguineo repletam, & pulmonis loco corpus spleni simile vidi extus erosum, intusque continens steatoma. Pleura, mediastinum, & diaphragma ea facie, qua dictam cavitatem respiciebant, erant quoque erosa, granulisque scabris rubentia. Non ita dextra se habebat cavitas; nam, præter paucum flavescens serum, & parvum steatoma in ipso pulmone, nil aliud notandum conspexi, nihilque notatu dignum exhibuerunt abdominis contenta.

Idrospinite

Dixi hujus matrem jamdudum pellagrosam occubuisse; nunc ejus etiam filiam pellagra laborantem, & puerum ex ea natum lichenosa fœdum affectione me vidisse addendum est.

CADAVER VI.

ardore di stomaco
Vomito — senso di
ostacolo al cardias

STephanus Vago loci *Olgiate* ann. circiter 40. mense novembris anni 1783. ardore stomachi primum laboraverat, cui accesserat frequens vomitus, & sensus cujusdam obstaculi in ima œsophagi parte. Vere

Vere subsequentis anni adveniente manus, collum, & pectoris ea pars, quæ recluso agricolarum more subuculæ hiatu aeri exponitur, pellagrosa deturpantur desquamatione; allata symptomata augentur, & tussis pus salsum ejiciens eum valde molestat.

Versus finem julii Nosocomium hoc ingredienti diæta lactea ei præscribitur, & ope pilular. de styrace Sylvii tussis hora somni compescitur.

Verum anacatharsis, febricula, macies, sudores fœtidi colliquativi, decubitus in latus dexterum difficilis phthisi pulmonali eum laborare demonstrant. Accedunt diarrhœa, linguæ excoriatio, dysphagia, vox rauca, tandem die 7. septembris mors.

In cerebro duram inter, & piam meningem aquam plurimam reperi, nec non in cavo cerebelli. Sano, & integro thoracis latere dextro, sinistrum purulenta materie replebatur, pulmo ad paucam molem ibi erat reductus, & vomicam efformabat, ibique pleura, & mediastinum erant erosa. Pericardium plenum erat aqua; cor glutine obtectum. Omentum tenuissimum; ventriculi facies interna tota exulcerata, maxime versus sinistrum ejus orificium.

CADAVER VII.

CAtharina Poncirola loci *Busto Garolfo* annorum 40. a pluribus annis externo pellagræ vitio quovis vere fœdabatur, etsi familiæ rectrix ab annis octo domesticis laboribus intenta agrestibus valedixisset.

Tristezza delirio senza febbre
Spelatura

1783. Januario mense post mortem mariti cœpit tristis esse, & delirare; unde domesticæ etiam curæ impos facta, lecto fere semper detinebatur, e quo tracta aliquando aeri radiis indirectis præfulgenti, ut calefieret, exponebatur, unde iterum furfuracea desquamatio dorsi manuum, & pedum de more apparuit.

Die 8. novembris huc allata ita tabe consumpta erat, ut sola cute ossa tegi viderentur; vix interroganti respondens, cibum, & potum renuebat, & præ debilitate vix brachia movere poterat.

Diarrea torminosa e cruenta

Analepticis vires erant instaurandæ; hinc jussi, ut cremor oryzæ, & vinum generosum cochleatim ei præberentur. Verum alvus, quæ prius laxa fuerat, frequens facta est, torminosa, & cruenta; tandem die 9. decembris e vita ægra decessit.

Idrocefalo
Cerebro piccolo
Idropisia polmon.
Idrocardia
Intestini tenui flogosati, e rosi

Cadaveris collum effuso sanguine livebat, & pedes œdemate tumebant. Sub meningibus seri copia apparebat; cerebri ipsius moles æquo minor videbatur. Pulmo dexter sero innatans pleuræ alligabatur; pericardium aqua turgebat; massa sanguinis coccinea reperiebatur, & penitus dissoluta. In abdomine intestina maxime tenuia intus erant leviter erosa, & phlogosi hinc illinc rubebant, cæteris secundum naturam se habentibus.

CADAVER VIII.

Maria Theresia Marini annorum 36. loci *Ravello* (cujus filia annum agens 13. a pueritia materno morbo afficitur) gracili habitu donata mediocri victus genere utebatur.

1774. Cum vernali tempore lac infanti, quem hieme pepererat, præbens solaribus radiis se se exposuisset, vertigine caduca pluries correpta est, & aphthæ plurimæ ortæ sunt in ore. Cæteris anni temporibus bene se habuit, donec ver subsequentis anni apparuit, quo cutis dorsi manuum desquamata est, accedenti graviori vertigine, & tensione ad posteriora.

Hæc quovis vere revertebantur, & adeo increverunt, ut quatuor ab annis lecto semper affixa in pejus ruerit.

Anno 1784. postquam hieme præcedenti tussis cum sensu salis in ore, sanguinis sputum, cardialgia eam vexassent, mense martio pedes, qui antea calore quodam urenti cruciati fuerant, rursus furfuris instar cuticulam amisere, & dolores, qui primum vagi erant, extremitates potissimum invasere. Febris accessit terziana intermittens, & die 5. junii ad hoc Nosocomium translata est tabida, & in globum contracta; genua enim ob tendinum rigiditatem flexa ita remanebant, ut pedes natibus adhærerent.

China china extracti, tincturæ, pulveris forma exhibita febrim tandem cohibuit. Camphoram ad dolores sedandos more Collinii ægra ferre non potuit: etsi enim drach. j. in die tantum sumeret, supervenit ardor stomachi, & capitis gravitas. Neque quidquam juvit stipitum dulcamaræ decoctum, quod cum tantillo lactis mane, & vespere per mensem sumere perrexit; vertebræ enim lumbares, & inferiores extremitates cruciari prosequebantur, accedente etiam aliquando abdominis dolore rachialgiæ adinstar. Die 25. septembris cœpit extracti aconiti gr. j. tripartita dosi in die sumere.

allattando
Afte alla bocca
vertigine caduca
Spelatura
Tosse con senso di salso in bocca
Cardialgia

Die 5. octobris cum neque dolores minuerentur, neque ex hujusmodi remedio quidquam mali experiretur ægra, aucta est dosis ad gr. j. & sem., sed pari successu; misella enim diu, noctuque doloribus dorsi, & artuum cruciabatur.

Etsi hoc remedii genus inutile prorsus adhuc vidissem, tamen experientiæ gratia die 15. gr. ij. in die sumenda præscripsi. Hac uti dosi continuavit ad diem 22., qua alvum plus æquo laxam fieri videns aconiti extractum missum feci, & lactis usum tentare statui, unde mane, & vespere lactis vaccini unc. viij. ei præbebantur, in quibus, ne alvus frequentius moveretur, rosæ rubræ siccatæ ex præcepto Meadii prius incoctæ fuerant. Ad lacteam diætam sensim devenire mihi mens erat, verum die 10. decembris macula lata coloris lividi circa os sacrum a famulis inventa est.

Peruvianus cortex variis formis exhibitus, ejusque saturatum decoctum extus applicitum gangrænæ augmentum retardare vix potuerunt, die enim 14. januarii fato cessit.

Ulcere gangrænoso os sacrum, & vertebræ lumbares nudæ apparebant, maculisque liventibus dorsum etiam ubique signabatur. In capite nil morbosi repertum est, nisi talem seri copiam inter meninges existimemus. Pulmo dexter similis parvi pueri pulmoni crudis tuberculis scatebat; sinister autem undique mediastino, & diaphragmati adhærens vomicis replebatur. In articulis præter tendinum rigiditatem nil aderat observatione dignum.

CADAVER IX.

CArolus Antonius Alieri loci *Nerviano* anno 1782. dorsi manuum levissimam passus est desquamationem, cæterum bene valens.

1783. Nullo extus prodeunte vitio diarrhœa per totum vernale tempus laboravit.

1784. Mense majo alvus iterum facta est frequens, & laxa; tandem mense septembri tussire cœpit, & die 23. novembris Nosocomium intravit macilentus, pus extussiens, amphimerina laborans, annum agens ætatis suæ 40.

Balsamum peruvianum ad gut. x. in cochleari syrupi capill. vener. quovis mane exhibitum febrim amplius accendebat.

Infusum heder. terrestr., & summitatum hyperic. cum lacte vaccino dierum 24. spatio repetitum ne morbi quidem augmentum retardavit.

Quod dicendum quoque est de chinæ chinæ tinctura lacte commixta, & de saccharo rosato, quem æger cum melle lambebat; sudoribus enim nocturnis, anacatharsi, & alvi fluxu confectus die 8. februarii anni 1785. inopinato mortuus est.

Cadaveris sectio nil dignum notatu exhibuit, si thoracem excipiamus; ejus enim sinistra cavitas pure implebatur effuso, pulmone ejusdem lateris fere consumpto.

CADAVER X.

Joanna Dell' Acqua rubris capillis, & nitidissima cute donata loci *S. Vittore*, quæ cum adhuc esset puella, semel hæmoptysi laboraverat, anno 1778. ætatis suæ 18. cœpit epidermidis dorsi manuum exfoliationem pati, idque omni dein renovatum est vere cum oris ardore, & cephalalgia.

1783. Mense novembri lateris thoracis dexteri dolore, tussi, & febri laboravit; cessata febri tussicula remansit.

1784. Manus plus solito desquamatæ sunt, & rhagadibus scissæ, tussis facta est molestior cum oris salino sapore, & catameniis cohibitis cœpit e vulva acer humor prodire.

Die 15. octobris huc se contulit manus morbo adhuc turpes gerens. Molesta tussi, purulenta, sanguine tincta, salis saporem excitantia sputa prodibant; horis vespertinis febricula exacerbabatur, dolore terebrante modo dexterum thoracis latus, modo sternum afficiebatur: decubitus tamen ubicumque facilis erat.

Die 20. octobris cœpi ei præbere quolibet mane aq. calc. unc. vj. cum lactis unc. ij., vespere autem ope pilul. styrac. Sylv. tussim compescebam, & ut humor acer a pulmonibus averteretur, fonticuli sub axillis aperti sunt.

Quamquam sapor oris salinus minui videretur, attamen cum ægra pectoris ariditatem conquereretur, omisso usu aq. calcis lactis vaccini vires experiri delibe-

ravi

Spelatura
cefalalgia
oris ardor
Gastro-enterite
e conseguente
tisichezza

ravi. Quare primum, utrum illud bene ferret ventriculus, facto periculo, sensim a minori dosi ad majorem ascendendo ad lacteam omnimodam deveni diætam, pro potu ordinario lac quoque decoctione hordei dilutum exhibendo.

Die 2. decembris, ne soli fiderem lactis virtuti, mane, & vespere lene infusum lichenis islandici præscripsi. Nullum unquam lac attulit incommodum, non acidos ructus, non tormina, non alvi fluxum.

Die 24. decembris talis pertæsa dietæ, ut eam mutarem, orabat ægra, quod libenter concessi, experturus quid eveniret. Omisso igitur lactis usu, panatellis, jure vitulino, & ovis vescebatur, infusi tamen lichenis haustum prosequendo. Verum cum rueret in pejus, lac rursus quæsivit, unde primum vivendi genus in usum revocatum est.

Mense januario sudor nocturnus, febris amphimerina, vox rauca, pectoris vagi dolores, gutturis erosio fere nullam salutis spem relinquebant. Tabellas ex rad. alth., amyl., sacchar., & mucilagine tragacanth. in ore liquandas, ut acre fauces vellicans demulceretur, præscripsi; verum februario declinante misera de vita migravit.

Notandum hic autem est, manuum, & pedum desquamationem primis diebus, quibus ægra excepta fuit in Nosocomio, per se evanuisse, toto tamen morbi decursu labiorum oris ariditatem, & scissuras remansisse, imo aliquando papulas erupisse prurientes in anteriori pectoris parte.

Cadavere hoc perlustrato, cutim primo niveam, & pinguedinem præter morem albicantem in cellulari textu observavi. Pulmo dexter magna, qua præditus erat, mole

totam

totam exacte implebat cavitatem, pectusque undique purulentam materiam emanabat; sinister autem immaturis tuberculis replebatur. Cætera sana apparebant.

CADAVER XI.

REgina Verganti loci *Misento* ann. 28., dum huc die 25. martii 1785. ferebatur, cum esset delirans. nil interroganti respondere mihi potuit; quapropter parentes ejus scifcitatus sum, qui eam a pluribus annis manuum desquamationi obnoxiam dolores totius corporis conqueri consuevisse, pluriesque invite currere coactam fuisse narrarunt.

Dum hic vixit, febri erratica laboravit cum pulsibus exiguis, ac irregularibus; & quamquam eam sudore peculiaris odoris perfusam sæpe invenirem, non inde tamen sensibile oriebatur levamen. Quin imo delirio semper detenta cibum renuebat, & potum; caput huc illuc velociter jactabat; & brachia, ac pedes subsultibus convellebantur ita, ut ne per minutum quidem in eodem loco retineri possent.

Vesicans emplastrum occipiti prius applicitum fuit, dein sequens mixtura præscripta, & pluries repetita.

℞. *Aqu. flor. rhœad. unc. iij.*
Liq. anod. min. Hoffman. drach. sem.
Laud. liq. Syden. gut. xij.
Syrup. violar. unc. j., & sem. M.
S. Cap. cochleatim intra nychthemerum.

Verum trismo, & risu accedente sardonico die 25. aprilis vitæ finis impositus est.

Cum

Cum ventris, & thoracis contenta sana omnia reperissem, ad capitis sectionem deveni, ubi nil aliud apparuit præter meningum, & cerebri vasa nimio sanguine distenta.

CADAVER XII.

MAriæ Ceriotti ann. 30, loci *S. Giorgio* Nosocomium die 5. junii 1784. ingressæ en breviter historiam.

Gastro-enterite
Spinite
Cefalite

1779. Dorsi manuum epidermis post leve erythema in squamulas separatur.

1780. Post partum leucophlegmatia ad plures menses ægrotat, nullo pellagræ signo extus apparente.

1781. Agresti fungi munere nititur, verum statim rubor quidam roseus vultum occupat non sine aliqua epidermidis separatione.

1782. Eodem fere modo vultus deturpatur, etsi rusticis minime incumbat laboribus.

1783. Lecto semper præ nimia debilitate decumbenti nullum cutis vitium apparet; toto tamen augusto delirat.

1784. Macula fusca totam occupat frontem, faucium accedit erosio, sanguinis sputum, vox rauca, cephalæa, pleurodyne vaga, extremitatum dolores.

Diæta semilactea, lac infuso hederæ terrestris dilutum, decoctum radicis chinæ dulcis cum lacte, fonticuli in brachiis, incrassantia, linctus, aut tabellæ forma, in ore liquanda ne vix quidem profuerunt. Perfecta enim aphonia, sensus continuus erosionis in trachea, deglu-

titio

titio difficilis, tussis molesta, frequens hæmoptysis, gravior cephalæa, febricula erratica, diarrhœa, macies lethale exitium appropinquari prænuntiabant. Tandem die 6. maji 1785. sanguine plurimo ex ore tussi prodeunte inopinato misera extincta fuit.

Exsecto cranio imminuta cerebri visa est substantia; flavescens serum magna copia ubique repertum manus mihi quasi lixivium corrugavit, & gustu exploratum salsum exhibuit saporem. Colli glandulæ, thyroidea potissimum, steatomatosæ apparuerunt; aspera arteria versus laryngem erosa effuso sanguine replebatur. Sinistra thoracis pars scatebat aqua subrubella, & dexter pulmo diaphragmati, pleuræque adhærens pluribus replebatur steatomatosis tumoribus. Reserato tandem abdomine aquam vidi in cavitate effusam; jecur coloris erat ex flavo pallidi; sectum vero sanum inventum est, etsi intus eumdem exhiberet colorem: lien parvum steatoma quoque continebat.

CADAVER XIII.

ANdreas Magistrelli loci *Arluno* ann. 45. (cujus patrem pellagra interfecit) anno 1780. dorsi manuum desquamationem ferre cœpit, cæteris sensim accedentibus pellagræ symptomatibus.

1784. Postquam per mensem in majori Mediolani Nosocomio fuisset, sub finem septembris huc translatus fuit. Dolor aderat capitis cum sensuum internorum perturbatione; os sacrum dolebat; præ debilitate, & difficili genuum extensione vix pedibus insistere æger poterat,

ac

ac si lecto decumbens residere conabatur, retrorsum se trahi sentiebat, eo sæpe inscio prodeunte urina.

Hirudines applicitæ temporibus capiti non leve attulere levamen; cætera autem symptomata durabant, etsi optimo cibo enutriri eundem curarem.

Sub finem octobris sicca tussi cum sensu salis in ore, & erosionis in gutture cœpit molestari, unde lactis vaccini, & hordei decoctionis anaticas partes pro potu communi sumendas præscripsi.

Die 5. novembris febris accessit, difficilis facta est respiratio, & tussi sputum fluidum salis excitans saporem ejiciebatur. Febris autem erat remittens; mane enim levi sudore peculiaris odoris erumpente levabatur, vespere iterum prævia horripilatione recrudescens.

Die 10. paroxysmo graviori ingruente supervenit orthopnœa, unde venæ sectio e brachio instituta fuit. Sanguis servatus seri cærulei plurimum, & densum cruorem crusta tectum phlogistica exhibuit. Interim decoctum rad. alth., & capill. vener. syrupo Fernelii edulcoratum pro potu ordinario sumebat, & ol. amygd. dul. cum syrup. papav. rhœad. cochleatim lambebat. His factum fuit, ut urina copiosiore prodeunte paroxysmi mitiores fierent.

Die 25. maculæ læte rubræ in sinistra gena apparuerunt, tussi, febri, oris salino sapore, cæterisque allatis symptomatibus ita sensim evanescentibus, ut nil ei morbosi superesset præter aliquam extremitatum inferiorum debilitatem.

Verum die 15. februarii 1785. cephalæa primum revivixit, dein iterum in scenam prodierunt sapor oris salinus, & tussis.

Tunc diæta semilactea præscripta fuit, decoctione hordei cum lacte quoque pro potu communi exhibita.

Die 18. aprilis pedibus dolore urente primum affectis, lividus dein color circa malleolos apparuit sensim pedes occupans, & ad genua usque se se propagans cum musculorum duritie, & rigiditate: febris autem, quæ adhuc erratice recurrere consueverat, facta est quotidiana intermittens.

Pannus sero lactis imbutus, in quo prius incocti fuerant flores sambuci, pedibus applicitus ne vix quidem profuit; unde linimento ex nasturtio aquatico, & adipe suilla confecto liventes partes inungi jussi, exhibito interim quovis mane bolo, qui corticis peruviani drach. j. ss., & succi concreti nasturtii drach. sem. habebat.

Pedes, & tibiæ sic fere naturalem colorem adeptæ fuerunt; verum tussi molestiore, & febri quotidie exacerbante æger ad exitium properavit: quod die 10. maii evenit, fine vitæ imposito.

Cadaver nonnihil flavescente colore tinctum apparebat, & sectis, ubi nonnullæ adhuc aderant in tibiis lividæ maculæ, integumentis sanguinem atrum ibi vidi effusum. Serum inter duram, & piam meningem, piam inter, & cerebri substantiam, & in ipsius ventriculis magna aderat copia, plurimumque e cerebelli cavo in spinæ tubum descendebat. Sinister pulmo sanus erat, & plurimæ innatabat aquæ; dexter autem nullam fere pulmonis figuram servabat, totus enim undique erat erosus, & pleuræ erosæ, erosoque diaphragmati ubicumque adhærebat. In abdomine inventum est hepar sanum, ejus tamen vesicula bile crocea, & spissa turgebat.

CA-

CADAVER XIV.

PAullus Castoldi ann. 30. loci *Busto piccolo* a biennio tantum pellagrosus huc fertur februario declinante anni 1785. debilis, macilentus, alvique fluxu laborans.

Gastrica e con
tiva aracnita

Paucis transactis diebus cœpit, diarrhœa paullulum remissa, delirare, modo læte canens, modo fortiter clamans, modo caput huc illuc jactando obmurmurans.

Post hebdomadam, maculis lividis primum in manuum dorso eruptis, sui iterum compos est factus; verum iterum diarrhœa increbuit.

Gummi arabicum hordei decoctione solutum, cremores oryzæ, simaroubæ corticis decoctum incassum tentata fuere; unde ad tonica, & adstringentia remedia deveni, uti sunt rhabarbarum leviter torrefactum, radix tormentillæ, cortex peruvianus, electuarium Fracastorii, vinum absinthio medicatum, emplastrum de crusta panis epigastrio applicitum. Sed etiam, hæc alvi fluxum sistere non potuerunt, unde pedum primum, dein totius abdominis orta est intumescentia cum respirandi difficultate, & parcitate urinæ.

Tunc præscriptum, & sæpe repetitum fuit vinum sequens.

℞. *Fol. absinth. unc. j.*
Vini alb. generos. lib. j.
Relinque vase clauso in fervida digestione per horas duas, & colaturæ adde.
Syrup. quinq. rad. aperient. unc. j. ss.
Spir. nitr. dulc. drach. j. ss.
M. cap. cochl. omni hora.

Verum

Verum die 15. maii ægre respirans, & anxius obiit.

Macie confectum cadaver dum secui, meninges inter, & cerebri lobos serum plurimum reperi. Abdomen aqua immaniter distendebatur, & magna aquæ copia aderat quoque in pectoris cavo, & pericardio. Reliqua omnia secundum naturam mihi visa sunt.

CADAVER XV.

Rosa Olgiati loci *Dairago* ann. circiter 45., utpote pellagræ morbo a pluribus annis laborans, huc fuit translata ineunte februario 1785.

Doloribus dorsi, & artuum cruciabatur; inferiores extremitates paraplegia afficiebantur; aderat tussis, & odor specialis e corpore erumpebat.

Virtutem florum arnicæ antiparalyticam prius statuens tentare, sequens ei præscripsi infusum.

℞. *Flor. arnic. drach. ij.*
verbas. man. sem.
Infunde in aquæ fervidæ q. s.
per horæ ÷ *vase clauso.*
Colatur. libr. j. adde
Syrup. alth. Fern. unc j. ss.
M. cap. quadripartita dosi in die.

Hoc repetito per dies octo remedio, tussis quidem evanuit, caloris tamen sensum in abdomine conquerebatur ægra, unde forma sequenti experimentum continuavi.

℞.

℞. *Pulv. subtil. flor. arnic. unc. sem.*
Nitri puriss. drach. sem.
Mell. q. s. ad molle electuar.
M. cap. quadripartita dosi in die.

Postquam per dies 12. ita continuasset, diarrhœa oborta finem fecit experimento.

Data tunc fuit rhab. drach. sem., dein omni quadrihorio præbebatur cort. simaorubæ pulv. scrup. j. cons. ros. in bolum redactum.

Verum die 31. maii pertinaci diarrhœa consumpta infelix mortua est.

Cum altera a morte die cadaver secarem, collum livebat, & dorsum. In abdomine omentum erat tenuissimum, & jecur extus, & intus colore præditum subflavo pallido nil quoad substantiam, quod reprehenderem, exhibebat. Pectus cum reserare aggrederer, notanda primo mihi fuit mala ejusdem conformatio; sternum enim extrorsum convexum attollebatur costis intus depressis. Thoracis cavum nimis elevato diaphragmate erat angustius, & cor non longe a jugulo distabat. Quod vero adnotatione est dignius, sternum ipsum ex rubro nigricans erat, & adeo molle, ut facile quoquoversum flecteretur, & cultro in frusta scinderetur, quod etiam costæ observandum exhibuere. Neque diversum fuit cranium; nudatum enim violaceo colore intime variegatum apparebat; levi manu serra secabatur, & cultro frustillatim discindebatur; molle erat, & spongiosum, expressumque cruorem atrum intus contentum fundebat. An cætera ossa ejusdem essent naturæ, pluribus intentus videre non potui. Sub pia meninge, & in anterioribus

ce-

cerebri ventriculis magna seri copia reperiebatur, quæ etiam apparuit ablato septo tentorio.

CADAVER XVI.

Joannes Baptista Schianni loci *Cairate* ann. 40. athletico præditus temperamento a sex annis pellagra laborans die 18. julii 1785. hoc ingreditur Nosocomium manuum dorsum cuticula expoliatum, & oris labia arida gerens, & scissa.

Mane ejusdem diei delirio detentus nil aliud, nisi saporem oris muriaticum mecum conqueritur; vespere autem guttatim, ac ardoris sensu molestissimo stipata fuit urina. Clysteres molles injiciuntur, & fotus hypogastricæ regioni admoventur.

Die 19. etsi interrogatus multa sine sensu feroci aspectu respondeat, refert tamen, lectulum in gyrum versari sibi videri, & aures molesto affici tinnitu.

Die 20. modo ferocit, modo cantat, modo vociferatur; pulsus fiunt celeres, & duri; odor specialis e corpore sudante prodit.

Die 21. delirium fit mite, lingua, & labia arescunt; alvus clysteribus minime respondet; cucurbitula nuchæ applicita scarificatur.

Subsequentibus diebus febris mane mitis facta horis vespertinis exacerbatur; pulsus sunt modo duri, & pleni, modo parvi, & celeres; sudor absque levamine sæpe erumpens undique mephitim peculiarem exhalat; abdomen modo alvo, & urina retenta instar tympani intumescit, modo rite iis fluentibus fit molle.

Aqua

Aqua gelida ei pro potu præbetur, gelida enemate injicitur, linteola gelida madida deraso capiti, & abdomini assidue applicantur.

Interim æger torvis oculis obmurmurat caput huc illuc jactando; manuum dorsum maculis irregularibus livet; volæ manuum, pedumque plantæ phlyctænis excoriantur; tandem carphologia, dentiumque stridore accedente die 9. augusti æger moritur.

Corpulenti cadaveris collum, & dorsum ob effusum sub cute sanguinem livebant; venter autem tensus sonum tympani a pulsatione edebat. Secto cranio meninges, ubi falcem efformant, crassiores erant, & inflammatæ. Intestina crassa, colon præsertim, aere immaniter distendebantur, & vesica collum versus phlogosi rubebat. Cætera secundum naturam videbantur.

La longa curvatura della spina, o il troppo stare con i
piedi può cagionar forse la spinite?

Adhuc de cadaverum sectionibus; nunc de iis, qui levamen adepti ab hoc Nosocomio exiere, dicendum est ægris. En selectiores historias.

HISTORIA I.

MAria Pagani loci *Veniano* ann. 46., etsi ab infantia quovis vere manuum dorsum cuticula ei expoliaretur, nil tamen passa est usque ad annum 1781., quo præter solitam desquamationem pertinaci diarrhœa laboravit, & pluries invita currere coacta fuit.

Posthac quovis vere cum externa renovaretur desquamatio, morbus intus increvit, accedente aurium molesto tinnitu, vertigine, & urenti pedum ardore.

1784. Die 29. maii Nosocomium ingressa bono corporis habitu, optimoque donabatur colore, si oris labiorum lividus pallor exciperetur. Quidam vero calor urens modo caput, modo dorsum, frequentius pedes ita vexabat, ut ignis ibi ei videretur impositus.

Serum lactis radice lapathi alteratum dierum viginti spatio continuatum, & balnea domestica per dies totidem repetita nonnullum attulere levamen, unde ægra Nosocomio valedixit.

HIS-

Dove ancora segni di spinite non v'ha febbre nè gastro-enterite! Bisogna credere che la gastritide succeda dopo che i nervi gastro-enterici sono stati afflitti in quel modo ch'io credo per la ... dove

HISTORIA II.

Pare che nessuno sia morto di semplice spinite, solo una spinite quando è unita alla cefalite

ETsi Anna Maria Fugazzi Oppidi *Saronno* annorum 45. domesticis curis intenta ne ullam quidem operam rusticis daret laboribus, tamen ei anno 1781. vere manuum dorsum epidermide spoliatum fuit.

1782. Pellagrosæ desquamationi vertigo, corporis nutatio, aurium susurrus, frequens emprosthotonos se se adjunxere.

1783. Nil extus apparuit, sed summa artuum debilitas, & quædam internorum sensuum confusio morbum latere significabant.

1784. Dorsi manuum cuticula iterum furfurea facta est, accesitque capitis gravativus dolor, & frequens inferiorum extremitatum crampus.

Die 6. augusti optimo adhuc corporis habitu prædita in hoc Nosocomio accepta fuit.

Ut dolori genuum, & frequenti surarum crampo obviam irem, inunctionem præscripsi ex ol. lumbric., & succin., intus autem dierum 15. spatio datæ ei sunt unc. viij. aq. calc. cum lactis unc. ij.

Die 12. septembris apparentis sanitatis potita hinc discessit.

HISTORIA III.

JOanna Perini loci *Origgio* ann. 40. phlegmatico donata temperamento cum die 27. julii 1784. Nosocomium hoc ingrederetur, narrabat pellagra, qua ipsa a pluribus annis

spinite senza febbre

laborabat, sororem jamdiu occubuisse, pellagræque signa in ejus quoque filia ann. 17., & filio ann. 4. nato jam apparere.

Dolor in sinistra tibia fere continuus ad os sacrum usque se se extendens, frequens ejusdem crampus, quem titillatio quædam in pedis planta præcedebat, clonici subsultus utrarumque inferiorum extremitatum præcipua fuere symptomata, quæ mulier hæc conquerebatur brevi eo tempore, quo hic commorata est.

Etsi tribus præcedentibus annis incassum balneis tepidis in majori Mediolani Nosocomio usa fuisset, his tamen plurimum fidens (quod est hujusmodi ægrotantibus commune) ardenter optabat hic quoque balnea ingredi. Obsecundavi quidem, sed ægra fere nullum experta levamen ad domesticas curas se contulit die 4. septembris.

HISTORIA IV.

CArolus Monticelli loci *Ossona* annorum 43. jamdiu a pluribus annis quovis vere sibi manus desquamari animadverterat, fere nullum inde salutis detrimentum expertus.

1782. Præter solitam desquamationis renovationem summam artuum inferiorum debilitatem conqueri cœpit.

1783. Jam dictis accessere flammæ sensus in cerebro, genuum dolor, & tendinum rigiditas.

1784. Etsi æger rusticis laboribus impos solem effugeret, manus tamen levi erysipelate correptæ nonnihil desquamatæ fuerunt.

Die

Die 26. Julii cum huc veheretur, macilentus ne pedibus quidem insistere poterat.

Rhei, & myrobalan. pulvis pluries repetitus diarrhœam cohibuit, quæ duobus a mensibus incœperat: balneis facilior evasit genuum motus, & plurimum quoque profuisse visum est jus sequens.

℞. *Viper. mundat. dimidium.*

In frusta conscinde, & in vas vitreum conjice, addendo aq. commun. libr. j.

Ran. mund. n. ij.

Nast. aquat. m. sem.

Vase rite clauso decoque in m. b. per horas 4.

Colat. cap. mane.

Notandum est autem, dum æger jure hoc utebatur, (continuavit enim per dies 15.) plures maculas sanguineas diversæ magnitudinis in brachiis erupisse, quibus adhuc signatus die 27. septembris ejusdem anni domum petiit. Posthac ipsum semper optima gavisum esse valetudine certior factus fui.

HISTORIA V.

ANtonius Olivari ann. 40. loci *Turate* mediocri victus genere utebatur; tamen ei vere anni 1783. manus, & pedes pellagrosorum more deturpati sunt, & sæpe progrediens quasi ebrius e recto tramite declinare cogebatur. Æstate balneum ingressus est ad mensem in majori Mediolani Nosocomio. Autumno febris modo tertio, modo quarto recurrens die eum vexavit.

 1784.

nella Spinite utile il bagno

Mense martio cum leviori desquamatione in scenam prodiere vacillatio, sensus oris salinus, ardor urinæ, dysenteria, & die 30. junii hoc Nosocomium ingressus est æger.

Os ei pallebat, quasi forte gustasset acetum; labia sicca erant, & scissa; pedum plantæ noctu potissimum interno ardore cruciabantur, eodemque molesto sensu caput etiam sæpe afficiebatur.

Præmisso leni eccoprotico balneum ingressus est ad mensem; dein præscripsi, ut quovis mane sumeret unc. vj. aq. calc. cum lactis tantillo. Ita perrexit per dies octo, quibus transactis e Nosocomio se bene valere referens discessit.

HISTORIA VI.

CHristophorus Figini loci *Lomazzo* ann. 45. athletico corporis habitu donatus mense majo anni 1784. rusticis intentus laboribus paullisper sibi sensit manus desquamari, & in lingua tali correptus est inflammatione, ut opus fuerit bis venam secare.

Mense junio sensu flammæ cœpit sinciput affici, accedentibus diarrhœa, diplopia, tensione corporis ad anteriora.

Die 23. julii cum huc ingrederetur, faciei color rubicundus erat; labia pallebant, & sensus flammæ huc illuc discurrentis pedes imprimis cruciabat.

Primis viis leni eccoprotico expurgatis, venæ sectio e brachio instituta fuit, quæ cruorem debita præditum consistentia exhibuit, multo tamen circumdatum sero.

Bal-

Balneum tepidum ingressus est per dies 15., sed ardor modo caput, modo nates, sæpius pedum plantas urere prosequebatur, & pluries in die crampus dolorificus a planta pedis sinistri ad mammam usque ejusdem lateris ita protendebatur, ut miserrime ejulans in globum contraheretur æger.

Balneis igitur posthabitis, tibia crampo vexata linimento ex ol. lumbric., & succin. inungebatur, & pro medicamento sequens præbebatur potio.

℞. *Spir. sulphur. per campan. drach. ij.*
Aq. commun. libr. ij.
M. Absumat partitis vicibus in die.

Continuata sunt hæc dierum octo spatio, quibus elapsis cum fere omnia evanuissent allata symptomata, domum rediit.

Bona ibi gavisus est valetudine usque ad æstatem subsequentis anni 1785., qua levi iterum manuum desquamatione redeunte morbus latens revivixit.

Declinante augusto iterum in hoc receptus Nosocomium, quanquam naturalem corporis torositatem, optimumque corporis habitum servaret, molestum tamen ardorem in sinistro capitis latere, dolorem imi dorsi ad pedem usque sinistrum se se extendentem, & brachii quoque sinistri stupiditatem conquerebatur.

Sanguinis missio e dextero brachio instituta, & cucurbitulæ dorso applicitæ paullulum capitis minuerunt molestiam.

Die 4. septembris, cum e balneo egrederetur, crampus in planta sinistri pedis primum incipiens ad cordis usque scrobiculum per sinistrum corporis latus ascendens

se

se se protendit, spasmodicam contracturam gignens, cardialgiam, anxietatem, vomitum biliosum, lipothymiam.

Die 5. paroxysmo hujusmodi declinante urinæ ex aqueis, & crudis turbidæ factæ sunt, & subjugales.

Posthac æger melius habuit, superstite tamen obtuso quodam sinistri capitis lateris dolore, quo adhuc laborans hinc abiit.

HISTORIA VII.

CAtharina Gianni loci *Fagnano* annorum 33. a duobus annis pellagrosa, dum die 26. julii 1784. huc ingrediebatur, manus, & pedes cuticula expoliatos, totamque frontem maculis terreis fœdam gerens auris sinistræ syrigmum, diplopiam, vertiginem, posterganeam corporis tensionem conquerebatur.

Manibus, & pedibus applicata sunt linteola aqua calcis madida, unde paucorum dierum spatio extus vix pellagræ adfuerunt vestigia.

Die 7. augusti e balneo egrediens dorsali tetano ita fuit correpta, ut caput versus occiput per horæ quadrantem non sine respirandi difficultate inflexum remaneret.

Die 26. caloris sensum in dorso cum levi posterganea tensione se rursus experiri ajebat. Cucurbitulæ dorso applicitæ sunt, & china china alterantis in modum præscripta fuit.

Postice non amplius tracta fuit ægra, sed auris sinistræ susurrus, & crurum dolor perdurabant.

Die 12. septembris papulæ miliares summam excitantes pruriginem totum fœdarunt corpus. Tunc per dies

10. saturatum rad. bardan. decoctum ei præbebatur, & papulæ desquamatione evanuerunt.

Die 22. maculæ sanguineæ quasi pulicum morsus hinc illinc in vultu, & brachiis erupere.

Die 23. his adhuc signata Nosocomio valedixit.

HISTORIA VIII.

FRanciscæ Mariæ Moroni loci *Ravello* ann. 46. vere anni 1782. phlyctænosum erysipelas circa externum pedis dexteri malleolum erupit, nullo alio accedente symptomate præter frequentem surarum crampum.

1783. Quin extus aliquid appareret, diplopia, vertigine, & frequenti opisthotono afficiebatur ægra.

1784. Nonnihil dorsum manuum turpatum ei fuit, & die 29. maii in hoc excepta est Nosocomio. Colore florido, & optimo corporis habitu gaudebat; interrogata autem, cur manus vix haberent pellagræ vestigia, respondit, manus sero lactis abluere, & solem effugere consuevisse.

Dum hic commorata est, manus tremore convulsivo fere semper agitabantur, & sensus quidam ustionis modo dorsi spinam, modo pedum plantas cruciabat.

Die 25. junii dolorificus crampus, quo sæpe suræ vexabantur, ita vehemens fuit, ut ægra post dolores atroces vero epileptico insultu correpta fuerit.

Serum lactis in multos dies mane sumpsit, dein præmisso leni eccoprotico balneum tepidum per 20. dies ingressa est.

Posthac

Posthac pedum plantæ sudore semper madidæ non amplius molesto ardoris sensu afficiebantur, non levi etiam quoad cætera levamine oborto.

Die 28. junii ad lares rediit levi adhuc remanente manuum tremore.

Audivi postea mulierem hanc se mediocriter gessisse usque ad ver subsequentis anni 1785., quo redivivo morbo in pejus iterum ruit.

HISTORIA IX.

ANtonius Lampugnani loci *Vergbera* ann. 55. (cujus frater mortuus est pellagrosus, & filius a pueritia manus gerit lichenibus fœdas), etsi textoris artem exerceret, tamen a decem annis pellagrosa manuum desquamatione quovis vere fœdari consueverat, ceterum bene valens.

1783. Postquam solitum manuum apparuisset vitium, tota æstate deliravit.

1784. Febricula laborans lecto fere semper detentus desquamationem quidem, non morbi progressum evitavit; diarrhœa enim oborta est, delirium, sapor muriaticus, ptyalismus, cerebri susurrus.

Mense junio suadente muliercula sibi manus, & pedes linimento ex oleo, cera, lithargyro, & cerussa confecto inunxit, soli dein partibus iis nudatis se objiciens. Quod cum primum per horæ spatium fecisset, humi exanimis procubuit; post biduum experimentum repetitum nullum ei attulit incommodum; sed cum tertia vice id audax repeteret, cecidit rursus asphycticus.

Die

Die 25. julii ingressus est Nosocomium tabidus, agrypniam, & alvi fluxum præ ceteris conquerens.

Paregorica primum præscripta sunt, quæ somno conciliato diarrhœam etiam cohibuere; dein jus viperinum, ut in Historia IV. ad duas hebdomadas continuatum est.

Sudor interim noctu erumpebat, & die 19. septembris maculæ sanguineæ puncticulares in brachio dextero, & sinistra gena apparuerunt, sed nullo levamine; mense enim octobri cæteris se adjunxere tussis, sputum striis sanguineis interspersum, sensus erosionis in gutture, & febris, quæ primum quotidianæ intermittentis typum sumpsit, dein facta est tertiana, postremo quartana.

Cum ex saturato chinæ chinæ decocto cum lacte dierum 18. spatio continuato tussis quidem evanesceret, non febris; ideo præmissa leni ex manna purgatione infusum florum arnicæ tentavi, quod paucos post dies omisi, febris enim gravior prosequebatur, & parcæ fluebant urinæ.

Die 12. novembris ægrum pulvere ex rheo, & cremore tartari repurgavi, & die sequenti sequens præscripsi febrifugum Haenii decoctum.

℞. *Rad. gramin.*

—— taraxac. an. libr. ss.

Minut. concis. & contus. indantur in aq. pur. q. s. Decoq. per bihorium.

Colatur. prælo express. libr. iij. adde

Oxymel. simplic. libr. sem.

Sal polychrest. drach. vi.

M. cap. unc. j. omni bihorio.

Hoc per dies 10 continuato febris mitis, & urinæ uberiores factæ sunt.

Die 26. ne febris diuturnitas ægrum perderet, ad corticem peruvianum confugi, cujus unciæ duæ ita divisæ fuerunt, ut drachmas duas mane sumeret, & totidem vespere. Febri ita profligata parvas ejusdem corticis doses sumere perrexit æger, ne iterum febris, ut fieri solet, reviivisceret.

Mense januario gingivæ factæ sunt atro-rubræ, & fungosæ, accedentibus morbosa siti, urina parciori, narium frequenti hæmorrhagia, pedum œdemate, & levi faciei intumescentia; ideoque chinæ chinæ antiscorbutica addidi hoc modo.

℞. *Pulv. subt. cortic. peruv. unc. j.*
Succ. concr. nast. aquat. unc. ſem.
Sal. polychrest. drach. ij.
Mell. q. s. f. electuar.
Cap. cochl. mane, & veſpere.

Etsi hujus electuarii usus ad mensem majum usque protractus fuerit, paucis interjectis diebus, quibus alvus ope pulveris ex rheo, & cremore tartari purgabatur, non inde tamen scorbutica symptomata evanuerunt; quin immo lividæ maculæ, quæ antea brachia quasi pulicum morsus occupabant, etiam in tibiis, & coxis confertim eruperunt, riguerunt suræ, & genuum motus evasit difficillimus.

Mel. rosat. cum spir. cochlear. gingivas sanguinem fundentes solidavit. Diæta semilactea profuit; & succus recens nasturtii aquat., cujus uncias duas cum tribus lactis quovis mane sumpsit æger per dies 20., effecit tan-

randem, ut omnia allata scorbuti symptomata evanescerent.

Verum an ideo ægrum perfecte convaluisse dici potest? Minime; superfuit enim solitus cerebri susurrus, qui tritici cribrationi similis ei videtur.

HISTORIA X.

MAria Antonia Grimoldi ann. 30. loci *Lomazzo* bono victu enutrita, & temperamento prædita phlegmatico mense junio anni 1784. ad me venit narrans, se a quatuor annis pellagrosam bis balneis usam fuisse, sed morbum sensim in pejus ruisse. Huc ingressa, etsi obeso potius habitu donaretur, tanta tamen debilitate laborabat, ut vix pedibus posset insistere; pedes interno ardore cruciabantur, artusque omnes doloribus afficiebantur.

Præscriptus tunc fuit sequens haustus.

℞. *Ol. æther. terebinth. gutt. xij.*
Sacchar. alb. drach. ij.
Simul contritis adde
Extract. salv. drach. j.
Aq. flor. til. unc. iij.
M. cap. mane.

Hoc viginti dierum spatio repetitum remedium, frictiones corporis universales, vinum limatura martis medicatum effecere quidem, ut vires augerentur, perstantibus tamen lumborum, artuumque doloribus.

Die 7. septembris cœpit ægra sumere jus viperinum (Historia IV.), idque continuavit per dies 15. Papulæ

interim prurientes huc illuc erupere, & die 21. ejusdem mensis maculæ purpureæ puncticulares confertim in brachiis apparuerunt.

Ope pulv. sabin. catamenia a tribus annis suppressa rediere; tandem die 17. octobris hilaris discessit, leves tamen circa lumbos conquerens dolores.

1785. Levissima revivixit manuum desquamatio, & mense majo huc iterum rediit. Pedum plantæ ardebant; labia oris pallore quodam livebant, & dolor imi dorsi sæpe ad crura extendebatur, cruralis nervi viam potissimum denotans.

Per dies 20. sumpsit ægra quovis mane sequens medicamentum.

℞. *Ol. essent. salv. gutt. jv.*
Sacchar. alb. drach. j. ss.
Simul contritis in mortario vitreo, adde
Aq. salv. unc. jv.
Spir. sal. ammoniac. gutt. xij.
Cap. mane cum determinatione ad sudorem.

Postea decoctum e lignis sudoriferis præscripsi, quod 24. dierum spatio mane sumere perrexit. Frictiones interim juxta spinæ decursum omni vespere repetebantur, sed dolores persistebant.

Mense augusto cum lingua sordido glutine semper obtegeretur, & digestionis opus videretur læsum, præmissa ex manna, & sale anglico catharsi, jussi, ut quovis mane sumeret limat. martis gr. xviij., & rhab. gr. viij. cum sacchari tantillo. Pulvis hæc continuata fuit ad mensem, leni pluries interposita ope rhei, & tartari solubilis purgatione.

Mense septembri discessit levi lumborum dolore, & pedum ardore superstite.

HIS-

La diarrea va ~~rade~~ volte colla spirito; se vi ha diarrea vi hanno sintomi cefalici, o polmonali

HISTORIA XI.

MArgarita Paganini ann. 34. loci *Villacortese* phlegmatica prædita temperie (cujus pater mortuus est pellagrosus) a pluribus annis levem cœperat dorsi manuum desqumationem pati, quin sensibile salutis experiretur detrimentum.

Diarrea e vertigine spirito affetto

1781. Postquam fœtum mortuum immature enixa fuisset, plus solito manus deturpatæ sunt, accedente capitis gravativo dolore, & diarrhœa.

1782. Mense julio a febri intermittenti, quæ toto vere eam vexaverat, convalescenti plurimum ei manus desquamatæ fuere; ceterum mediocriter ægra se gessit.

1783., & 1784. Pellagræ indiciis fere nullis extus apparentibus, intus tamen morbus sæviit; supervenerunt enim diplopia, vertigo, cerebri susurrus, dolores, & crampi sinistrum corporis latus afficientes.

Hisce laborans ingressa est Nosocomium mense augusto 1784. Paregoricis incassum exhibitis extractum hyoscyami experiri deliberavi, unde ejusdem gr. vj. tripartita dosi in die cœpi præbere. Sensim augendo dosim ad gr. jx. deveneram; verum fœminam morosam in Nosocomio amplius detinere non potui.

HISTORIA XII.

INnocentius Monticelli Oppidi *Nerviano* ann. 60., qui patrem suum jam ab annis 45. pellagra occubuisse meminit, vere anni 1783. sensit in dorso manuum sponte cu-

cuticulam oboli spatio avelli, cæterum bene valens. Subsequenti hyeme spontanea lassitudo, animique tristitia anguem latere denotabant.

1784. Mense martio nullo pellagræ signo extus apparente in scenam prodiere vertigo, diarrhœa, frequens emprosthotonos, dolor imi dorsi per exterius sinistri femoris latus se se protendens.

Die 10. septembris Nosocomium hoc ingressus summa inferiorum extremitatum debilitate laborabat; dolebat dorsum; vox erat nasalis; nares ei occlusæ videbantur; brachia, & manuum dorsum purpureis maculis irregularis magnitudinis signabantur.

Cibus analepticus, & usus corticis peruviani in multum tempus protractus vix profuerunt.

Mense decembri maculæ sanguineæ brachia, & manus occupantes evanuere, & dolor ab osse sacro ad genua se transtulit.

Mense januario cum sæpe manus foculo admoveret æger, ut eas calefaceret, vola prurivit, & maculis rubuit irregularibus, quasi urticas diutius attrectasset.

Mense februario superstite levi genuum dolore abiit.

HISTORIA XIII.

PEtrus Antonius Brenta ann. 55. loci *Cassan Magnago*, cujus soror obiit pellagrosa, caput a pueritia porriginosa alopecia fœdum, tibiam autem dexteram a pluribus annis ulcere sordidam gerebat.

1783. Vernali tempore cœpit cephalalgia, vertigine, & aurium susurru laborare.

sintomi cefalici [illegible] gastro- enterici [illegible] quindi ardor di piedi

1784.

1784. Dorsi manuum epidermis in lamellas nigricantes abiit, supervenientibus graviori vertigine, sapore oris salino, tussi, linguæ excoriatione, bulimia. Tandem die 29. augusti pallidus, emaciatus huc fuit delatus.

Die 6. septembris sequens præscripsi decoctum.

℞. *Rad. salsaparill. minut. incis. drach. vj.*
chin. in taleol. sect. unc. sem.
Aq. comun. lib. j. ss.
Præmissa per noctem infus. adde
Ran. mund. n. jv., & bull. ad cons. tert. part., sub finem addendo.
Nasturt. aquat. man. sem.
Colat. cap. mane.

Dum hoc sumere quovis mane continuabat æger, die 20. maculæ sanguineæ læte rubræ apparuerunt in brachiis, una tantum in sinistra gena erumpente.

Mense novembri tussis, quæ a pluribus mensibus siluerat, iterum revivixit, sputo crasso prodeunte, mixto etiam aliquando sanguinis striis. Cum ulcus, quod a pluribus annis, ut dixi, in tibia gerebat, exsiccari videretur, & æger fonticulum in femore renueret, curavi rursus ulcus aperiri; dein præscripsi, ut quovis mane sumeret decoctum rad. chin. dulc. cum lacte, & lac quoque decoctioni hordei adderetur pro potu ordinario: quibus factum est, ut tussis fere evanesceret.

Mense decembri, cum noctes inquietas æger transigeret ob intolerabilem ardorem in plantis pedum, dexteri potissimum, ope candentis ferri ulcus excitari volui eo in loco, ubi dolor erat major, nempe versus phalanges. Molestus sensus tolerabilis sic evaserat, sed iterum post aliquod tempus recruduit.

il ferro rovent
calma il dolore

Quo-

Quoniam in aliis ægris pluries observaveram, quod, si pedes sudant, ardore cruciari desinunt; ideo lintea decoctione florum sambuci, & spiritu vini madida pedibus jussi applicari.

Urens pedum dolor sic remittebatur quidem, sed omnino non desiit, unde ineunte martio æger ad lares se contulit.

HISTORIA XIV.

THomas Antonini oppidi *Rò* ann. 50., cujus pater pellagræ morbo occubuit, jam ab annis duodecim manus sibi quoque fœdari animadverterat.

1784. Manuum vitio accessere diarrhœa, susurrus cerebri, oris excoriatio, tussis.

Die 12. septembris huc fuit translatus. Pedibus insistere præ artuum debilitate non poterat; febricula horis vespertinis exacerbabatur; tussi sputum puriforme striis sanguineis interspersum prodibat, & sapor oris muriatico similis erat.

Hæc omnia hic increvere, accedentibus agrypnia, ptyalismo, sensu erosionis in gutture, ephidrosi peculiarem odorem redolente.

Die 24. septembris, cum morti fere proximus esset, nil aliud ei præbebam, præter vespertinam paregoricam emulsionem. Interim aderat palpebrarum instabilitas, pulsuum exilitas, & labiorum quidam involuntarius motus, quasi quid sapidum gustaret.

Die 26. omnia mitiora evasere; æger tamen frontis obtusum dolorem, limpidique humoris e naribus, & ocu-

oculis destillationem conqueri continuabat: quod tollere non valuit decoctum rad. chin. dulc. cum lacte ad multum tempus mane ei exhibitum.

Novembri declinante hinc discessus, si narium occlusio excipiatur, bene habuit usque ad ver anni subsequentis 1785., quo virium primum prostratio, dein frontis dolor revivixit.

Die 28. maii iterum ad me venit, & serum lactis radice lapathi alteratum visum est profuisse.

HISTORIA XV.

CArolus Franciscus Pigozzi loci *Geranzano* annor. 58. mense novembri anni 1783. cœpit cephalæa laborare cum quodam inexplicabili ipsius cerebri susurru. Venæ sectio e brachio, cucurbitulæ in dorso scarificatæ, occipitio applicitum vesicans nullum ei attulere levamen.

Mense martio 1784. cum vix soli se se exposuisset, manus primum pellagrosa desquamatione turpatæ sunt; dein susurrus cerebri molestior evasit, unde die 30. maii in hoc acceptus fuit Nosocomio. Pedum plantæ molesto ardore afficiebantur; sensus flammæ cerebrum versus frontem vexabat; sæpe igneæ scintillæ veluti electricæ a cerebro ad oculos, ad aures, ad occiput velocissime percurrebant; quin immo aliquando quasi ab alto igneus imber capiti impluere ei videbatur. His accedebant frequens emprosthotonos, animi tristitia, agrypnia.

Hirudines temporibus applicitæ levamen ad paucos dies duraturum tulerunt. Potus seri lactis fumaria alterati

ad dies viginti, & balnea domestica per viginti quoque dies repetita vix quoque profuere: unde iterum præmissa hirudinum temporibus applicatione hanc quotidie sumpsit potionem.

℞. *Spir. vitriol. drach. ij.*
Syrup. viol. unc. j.
Decoct. hord. lib. ij.
M. cap. partitis vicibus in die.

Ita perrexit ad dies duodecim, quibus elapsis cum ardor cerebri persequeretur, & pulsus essent duriusculi, venæ sectio e brachio celebrata serum plurimum subcærulei coloris, & cruorem crusta phlogistica obtectum exhibuit.

Vesicantia pone aures paullulum caput levarunt, & mediocriter se gerens æger discessit mense novembri.

Subsequenti vere æger iterum ruit in pejus; æstate pessime se habuit; autumno tandem ad majus Mediolani Nosocomium se contulit. Ibi a solertissimo, cui pellagrosi committuntur, Medico curatus fuit dierum 24. spatio, quibus elapsis tamquam ad perfectam restitutus valetudinem dimissus est.

Verum post paucos dies, declinante scilicet decembri, ad me venit, ut rursus nostro acciperetur Nosocomio. Coruscos oculos instar hominis vehementi ira perciti habebat; brachium dexterum, dexterumque crus molesto ardore, & dolorificis puncturis afficiebantur; tristitia aderat, & agrypnia, neque deerat ingratus ille peculiaris odor, qui e pellagrosorum corpore sæpe solet prodire. Ne aliorum perturbarentur observationes, eum hic detinere nolui.

HIS-

HISTORIA XVI.

ARchangela Limidi ann. 37. loci *Cassan Magnago*, cujus pater pellagræ morbo de vita migraverat, mense majo anni 1782. filio, quem a mense pepererat, ubera præbens, diarrhœa primum correpta est, dein manuum epidermis in leves squamulas abiit, & excoriatio totum os occupavit. Hæc passa subsequenti hyeme bene habuit, si totius corporis formicationis sensus excipiatur.

Diarrea
Avvenute [illegible]
leggier spirito
vagne, [illegible]

1783. Vere adveniente venæ sectione e pede celebrata menstruus ei rediit fluxus, quo a partu caruerat; manuum vero iterum sponte separatâ est cuticula, & mense julio animi tristitia, ac sensuum internorum confusio eo devenerunt, ut sæpe parum abfuerit, quin in puteum se projiceret.

1784. Primo vere solitum dorsi manuum apparuit vitium, & die 13. augusti huc ægra se contulit. Etsi pellagræ externa signa jamdudum per se evanuissent, & talis esset habitus corporis, ut integra valetudine frui primo intuitu ea videretur, attamen ita cerebro laborabat, ut modo rotæ molendinariæ in gyrum actæ sensum, modo flammam, tintinnabuli modo sonitum, modo capillorum evulsionem conquereretur. Præter hæc objecta in orbem velocissime circumire ei sæpe videbantur; terrefacientia phantasmata sibi præ oculis obversabantur; somnus erat difficilis; internus ardor pedes cruciabat, dexterumque brachium vix poterat attolli ob humeri dolorem, quem ab anno patiebatur.

Balneis eam statim tradidi, ne anni effugeret apta tempestas, & interim hora somni præbebatur paregoricus haustus hujusmodi.

℞. *Laud. nepenth. Quercet. gr. ij.*
Solve in aq. flor. rœhad. unc. iij., & add.
Syrup. diacod. unc. sem.
Cap. hora somni.

Die 8. septembris cum pulsus nonnihil pleni viderentur, parcam præscripsi sanguinis e vena missionem; sed cruor multo innatabat sero, & laxæ erat compagis.

Die 12. jussi, ut in occipite setaceum in multum tempus apertum detineretur; dein camphoram methodo Collinii exhibui per dies viginti, sensim augendo dosim ad drach. ij. in die. Cum aliquod inde levamen sensisset ægra, saltem quoad brachii dolorem, die 30. octobris discessit.

Vere consequente ad me iterum venit narrans, se adhuc capite præ primis laborare. Balnea tepida, pillulæ de succino Cratonis per epicrasim exhibitæ, & vesicans cervici admotum vix profuerunt.

HISTORIA XVII.

ANtonio Ceriotti an. 58. loci *Villacortese*, cujus filia pellagrosa decessit, pedes, & manus a pluribus annis primo vere cuticula spoliabantur.

Anno 1781. in majori Mediolani Nosocomio balnea ingressus est, eaque subsequenti repetiit anno, sed morbus sensim adolevit; mense enim martio anni 1784. dolor,

dolor, quem alias leviter senserat, os sacrum, & genua ita acriter cruciare cœpit, ut amplius ne dicam progredi, sed ne pedibus quidem insistere posset. Omitto diplopiam, vertiginem, & plantæ pedum ardorem, utpote ea, quæ fere omnibus pellagrosis competunt symptomata.

Die 26. julii dum huc ingredientem examinabam, oris labia pallide livebant, abdominis integumenta crassa erant, & fere coriacea, naturalem tamen torositatem corpus minime amiserat. Interrogatus autem, quomodo se haberet, respondit, hemicrania in latere capitis sinistro, & continuò ossis sacri, lumbariumque vertebrarum dolore laborare, genua ob tendinum rigiditatem difficulter extendere, & tibias ne per minutum quidem in eodem loco retinere se posse.

Post balneorum usum, & lene catharticum die 16. septembris gr. j. extracti aconiti tripartito in die dare cœpi, aucta sensim dosi ad gr. ij.

Die 7. octobris superveniente cardialgia, & totius corporis convulsivo tremore extractum omisi.

Die 15., ne experimentum alicui imperfectum videretur, rursus aconiti extractum in usum revocavi.

Die 24. cum hoc remedii genus mensis spatio continuatum non profuisset, diaphoretica tentare statui opinioni innixus, quod corporis integumenta nimis crassa perspirationi obstarent. Decoctum igitur ex rad. salsaparillæ, & ligno sassafras ei mane præbebatur, & pannis laneis vespere totum corpus ruditer fricari jubebam.

Hisce ad dies 15. continuatis non leve sensit æger levamen; etenim dum e Nosocomio discedebat, absque fulcro progrediebatur, cum antea ne pedibus quidem insistere posset.

HI-

HISTORIA XVIII.

ANdreas Olgiati loci *Dairago* (cujus frater, filia, filiusque pellagræ morbo laborant) annorum 40. melancholico temperamento præditus a pluribus annis manuum desquamatione primo vere afficiebatur.

1781. Delirium accessit, quod inde quavis anni tempestate sæpe sæpius paroxysmis renovatum est.

1784. Die 29. maii huc ingressus attonitus ne verbum quidem interroganti respondet.

Subsequentibus diebus modo sopore obruitur, modo bovis instar ruminat spumam ejiciens; motus sæpe adest labiorum instar hominis quid sapidum gustantis; febris erratice recurrit; urinæ parce fluunt; alvus sistitur; abdomen tenditur. Interim vesicans nuchæ applicatur, clysteres injiciuntur, tandem ope extracti hellebori pluries venter exoneratur, & die 12. junii sudore peculiarem odorem redolente oborto cessat febris, & delirium.

Præmissa hirudinum hæmorrhoidibus applicatione balnea tepida præscribuntur. Tantus interim post quotidianum balneum erumpit sudor, ut lectus totus madens undique peculiarem oleat mephitim.

Die 18. julii, balneis fine imposito, tristis animus, & pulsuum frequentia futurum iterum paroxysmum præsagit.

Die 22. incipit delirare.

Die 23. abdomen inflatur, sistitur alvus, & æger agresti cantilena tota nocte clamat.

Die 24. ferocit.

Die 26. attonitus adstantes torvis oculis intuetur.

Die

Die 27. pluries ope infusionis sennæ exoneratur alvus, quæ jalappæ, & hellebori extracto restiterat.

Die 28. sudor fœtidissimus finem paroxysmo imponit, & nil aliud ei remanet præter cerebri molestum susurrum.

Declinante augusto medicamenta renuens, & diutius hic manere recusans abiit.

HISTORIA XIX.

CArolus Joannes Ferrajolo annorum 55. loci *Castellanza*, utpote familiæ rector, agrestibus laboribus ut plurimum abstinebat.

1783. Mense martio a somno expergefactus, cui per horæ dimidium solaribus expositus radiis indulserat, vertigine correptus est caduca, & manuum dorsus pellagroso erythemate repente rubuit.

1784. Extus. fere nullo erumpente signo, vertigo, molestus cerebri susurrus, & sensus ardoris modo pedes, modo caput afficientis intus latere morbum demonstrabant.

Die 29. maii huc ingrediens præmisso leni eccoprotico per dies 12. sumpsit lib. ij. seri lactis fumaria alterati, dein balneum tepidum per dies 20. ingressus est. Urenti cerebri, & pedum ardore continuante diutius hic eum detinere voluissem, sed ipse domus suæ sollicitus recusavit.

Mediocriter se habuit usque ad mensem februarium 1785., quo morbus iterum vires resumpsit; primum enim cum nundinario die vicinum oppidum peteret,

in-

invite festinans, neque dextrorsum, neque sinistrorsum iter deflectere potuit, donec in arborem impegit. Posthac ruit in pejus, & medio julio ad nostrum rediit Nosocomium.

Plantas pedum præsertim noctu urens ardor cruciabat; imum dorsum dolebat; caput autem, quod ei fervens videbatur, continuo afficiebatur molesto cicadæ cantu.

Postquam balneis ad dies 24. incassum usus fuisset, præscripta ei fuit aqua communis ea methodo, quæ Italis dicitur *acqua a passare*. Cœpit igitur mane ejusdem e puteo recenter extractæ libram unam sumere; dein sensim augendo ad uncias centum pervenit. Dosi hac per dies 10. continuata, iterum decrescendo, unde inceperat rediit.

Verum nullo quoque inde orto levamine serum lactis acetosa alteratum ei datum fuit per mensem, victu interim oleraceo exhibito. Ardor pedum evanuit, & cætera nonnihil minuta sunt; declinante tamen septembri discedens calorem adhuc frontis, & levem dorsi dolorem querebatur.

HISTORIA XX.

Escoriaz.e bucale
diarrea
ardor cerebrale
apiressia

REgina Zampini loci *Mozzate* ann. 28., cujus mater pellagrosa occubuerat, vere anni 1783. cum propriæ prolis nutrix agresti munere fungeretur, vesiculas sero turgidas circa malleolos sibi sensit oriri, & manus erysipelate corripi absque tamen sensibili sanitatis incommodo.

1784.

1784. Postquam iterum manuum, & pedum vitium apparuisset, os, & fauces acriter excoriatæ sunt, accedentibus diarrhœa, diplopia, pedum, & cerebri ardore.

Die 31. julii huc ingressam statim balneis tradidi; dein sequens medicamentum quovis mane sumendum præscripsi.

℞. *Succ. recent. nast. aquat. unc. jv.*
Mell. unc. j.
Ocul. cancr. scrup. j.
M. cap. mane.

Perrexit hoc sumere dierum 15. spatio, quibus transactis papulæ miliares primum, dein maculæ læte rubræ in pectore, ejusdemque coloris peticulæ in brachiis confertim eruperunt. Critica fuerunt hujusmodi exanthemata; ægra enim bene valens septembri extremo domum petiit.

HISTORIA XXI.

Epiphanius Colmegna loci *Lomazzo* ann. 60. ab annis quatuor pellagrosus huc se contulit initio mensis junii anni 1784., vertigine, continuo aurium tinnitu, frequenti corporis involuntaria ad latus sinistrum tensione laborans. E balneis domesticis aliquod sensit ipse levamen, sed non desiit ardoris sensus in spinæ decursu molestus.

Spinite spirtica

HISTORIA XXII.

MAria Columba oppidi *Saronno* a sex annis pellagrosa hoc præ ceteris observatu dignum exhibuit. Vola manus dexteræ sæpe ita ei ardebat, ut ibi pruna videretur superposita. Ardori accedebat dolor ad totum se se extendens brachium, & digiti medius, & auricularis spastice contrahebantur. Quoniam certa graviditatis signa in ea aderant, post paucos ab ingressu dies hinc abiit.

HISTORIA XXIII.

Bulimia
Spinite opistica

MAgdalena Chiappa loci *Casorezzo* ann. 40. mense junio anni 1784. huc venit strigosa, manus phlyctænis, & desquamatione fœdas gerens, artuumque summa debilitate, bulimia, xerophthalmia laborans.

Usu seri lactis herbis antiscorbuticis alterati ad mensem continuato, & balneis convaluisse videbatur; unde, cum esset familiæ rectrix, domum petere voluit.

Verum sub finem septembris huc rursus vecta fuit narrans, se ab aliquo tempore ardoris, frigoris, & decidentis pluviæ in occipite sensum experiri; aures tinnire; dolere os sacrum; inferiores extremitates frequentibus subsultibus agitari.

Extractum hyoscyami methodo Störckii præscripsi per dies 15., quibus elapsis finem experimento imposuit cardialgia, quam ab eo assumpto quotidie experiebatur ægra.

Sub-

Subsultus tamen rariores facti sunt, & dolor mitior, unde die 20. novembris hinc voluit discedere.

HISTORIA XXIV.

Joanna Bandiera loci *Villacortese* ann. 30. (cujus mater pellagrosa decessit, eodemque morbo maritus laborat) antequam nuberet cœpit quovis vere dorsi manuum desquamationem ferre, cui sæpe accedebant vertigo tenebrosa, diplopia, suffusio coruscans, xerophthalmia, opisthotonos, & dolor ab osse sacro ad crus dexterum se se protendens.

1782. Postquam crustæ, quæ sponte totam capitis capillatam partem occupaverant, spuma, quæ a carne colligitur ebulliente, applicita abiissent, omnia in pejus ruerunt; cæteris enim se adjunxere manuum convulsivus tremor, & delirium quavis recurrens æstate.

Hæc mihi narrabat mense augusto anni 1784., dum huc ingrediebatur, addendo diarrhœa, albo uteri fluore, oris aphthis, & cardialgia se pluries laborasse, sæpeque sensum quemdam in pedibus experiri, quasi aere levior facta altius tolleretur.

Collyrium ex mucilagine gummi arabici, & aqua hordei plurimum profuit xerophthalmiæ; cetera autem symptomata tollere omnino non valuerunt nec paregoricæ emulsiones, nec extractum hyoscyami per dies 20., nec per totidem serum lactis nasturtio alteratum, neque tandem decoctum rad. chin. dulc. cum lacte ad dies 15. protractum.

Ne ex hac historia suspicio oriatur de morbi contagio, eo quia maritus, & uxor eodem laborant morbo, notandum est, maritum quoque a pellagrosa matre ortum duxisse.

HISTORIA XXV.

Francisco Galli loci *S. Giorgio* ann. 54. temperie prædito plethorica cœpit a juventute femur dexterum dolere; hinc claudicatio orta est, ipsiusque cruris tabescentia.

Annum cum ageret trigesimum nonum, postquam a febri acuta veris tempore convaluisset, manuum, & pedum passus est pellagrosam desquamationem.

Bona gavisus est valetudine subsequentibus annis, extusque nullum unquam apparuit vitium.

1778. Vertigine caduca laborans in majori Mediolani Nosocomio decubuit, ibique præter cætera pluries ei missus est sanguis.

1783. Mense septembri pondus attollens dolore prehensus est acerrimo in lumbis, qui sensim per exterius sinistri femoris latus descendens evanuit.

1784. Augusto mense dorsum manuum, quæ jam ab annis 15. nullo fœdatæ fuerant vitio, iterum cum virium imbecillitate spoliatum est epidermide.

Mense novembri, cum iterum pondus elevare niteretur, rursus dolor ad os sacrum revivixit; dein sinistrum femur etiam occupavit, ibique sedem figens miserum acerrime torquebat.

Die

Die 12. decembris, dum eum hic accipiebamus, ob vetus dexteri cruris vitium claudicabat; dolor autem sinistri femoris ab osse sacro incipiens deorsum exterius ad dorsum pedis usque percurrebat, veram ita ischiadem nervosam posticam Cotunnii efformans.

Datum est illi purgans ex manna, & sale anglico; dein sanguis missus est a ramo ischiadicæ prope malleolum externum sinistri pedis excurrente, & sensim evanuit dolor.

Dum lætus hoc observabam, interior ejusdem femoris pars dolore quoque cœpit affici ita, ut posticam in anticam ischiadem mutari vererer, sed lenis frictionis ope hic etiam disparuit.

Reliquum erat, ut veteri succurrere morbo tentarem. Vesicantis igitur ope ulcus sub genu dextero ad fibulæ caput excitari jussi, ex quo non leve expertus est levamen; inde enim facilior factus est femoris motus, genuflexio facilior, minor claudicatio; unde æger hilaris Nosocomio valedixit.

HISTORIA XXVI.

MAgdalena Della Vedova loci *Villastanza* ann. 55. (cujus sororum altera pellagræ morbo occubuit, eodem altera laborat) a pluribus annis quovis vere pellagrosam ferre desquamationem consueverat absque ullo sensibili salutis detrimento.

1784. Cum ægra ob virium languorem domi fere semper detineretur, nullum quidem extus prodiit vitium,

sed

sed intus morbus invaluit ; vertigo enim accessit , gutturis erosio , sanguinis screatus , vox rauca , oris ardor , & dolor dorsi .

Die 5. junii huc fuit delata . Gargarismata præscripta sunt ex hordei decoctione , & lactis vaccini recenter mulcti matutinus haustus .

Mense julio dum balneum tepidum quotidie ingrediebatur , papulæ miliares in squamulas furfuraceas abeuntes totum corpus deturpabant ; verum dolor dorsi prosequebatur ad sinistrum corporis latus ita se se propagans , ut sinistra tantum tibia , sinistrumque brachium afficeretur .

Eodem mense declinante camphoræ vires experiri deliberavi , unde præmisso leni eccoprotico hanc cœpi sequenti formula præbere .

℞. *Gum. arab. drach. j.*

Solve in aq. viol. unc. iij.

Dein terendo adde

Camphor. ras. drach. sem.

Syrup. viol. unc. j.

Cap. divisis dosibus in die .

Sic camphora continuata fuit per dies duodecim , dosi sensim aucta ad drach. ij.

Lenis totius corporis sudor , pacatus somnus , refrigerii sensus , pulsus tranquillus spem plurimam primis diebus præbebant ; verum cum postea caput vertigine , & gravativo dolore plus solito afficeretur , camphoram omisi .

Jus viperinum , serum lactis radice bardanæ alteratum , decoctum radicis chinæ dulcis cum lacte vix , aut ne vix quidem profuere , etsi horum omnium usus in

mul-

multum tempus protractus fuerit: dolores enim spinam, os sacrum, sinistrumque corporis latus cruciare non desinebant.

Mense decembri tussis, quæ vix fuerat sensibilis, facta est major cum sensu erosionis in gutture. Potus ordinarius ei erat decoctio hordei cum lacte.

Die 12. januarii tussi de more mane exacerbante prodiit sanguis purus, & rutilans cum titillatione, & sensu salis a trachea in os ascendente.

Posthac tussis horis matutinis molestior evasit, sibilum, clangoremque sæpe producens; sputum aliquando sanguinis striis variegatum excreabatur, & sensus erosionis asperæ arteriæ longitudinem sequebatur.

Præter lac recens mulctum, cujus sumebat unc. viij. mane, & totidem vespere, tabellas ex amylo, gummi arabico, terra catechu, & saccharo liquandas in ore detinebat.

Hæc tussim mitiorem quidem reddidere, minime vero eradicare potuerunt. Tussicula enim tunc adhuc restabat, cum mense aprili 1785. e Nosocomio discessit, ut dolores omittam, qui dorsum, sinistrumque corporis latus afficere prosequebantur.

HISTORIA XXVII.

Paula soror Magdalenæ Della Vedova (Historia XXVI.) ann. 65., etsi rusticis vix, aut ne vix quidem assueta laboribus, optimoque victu enutrita æstivo tempore sericum e bombycum folliculis conficere consuesceret, tamen

Spinite
aracnite con[illegible]
piretica
tracheite lenta

men

men anno 1778. pellagrosam manuum desquamationem ferre cœpit, idque annis etiam subsequentibus repetitum fuit.

1784. Externo vitio accessere syncipitis punctorii dolores, susurrus auris dexteræ, dorsi, dexterique brachii dolor, vertigo, extremitatum inferiorum debilitas, erosionis in gutture sensus, sputum sanguine striatum.

Die 7. septembris huc ingressa cœpit sumere sequens decoctum.

℞. *Stipit. dulcamar. contus. unc. sem.*
Infunde in s. q. aq. fervent. per hor. dimid.
Dein leniter bulliant.
Colat. unc. viij. adde
Lact. vaccin. unc. jv.
Cap. mane, & repet. vespere.

Quod cum per dies 10. sumpsisset, papulæ prurientes eruptæ sunt per totum corpus, & dolores minuti; verum œdematoso erysipelate manus, brachia, & facies ipsa non sine febri intumuerunt.

Die 26. epidermide in squamulas furfuraceas abeunte evanuit quidem erysipelas, sed supervenit delirium, quod ad dies quatuor duravit.

Præscripsi postea dulcamaræ iterum decoctum per dies 20., sed dolor brachium dextrum cruciare non desinebat.

Vesicans ibi applicitum fecit, ut dolor priore relicto alterum occuparet brachium, quod etiam deseruit alterius vesicantis ope, & dexteram tibiam invasit.

Etsi tali pacto materiem morbificam me neque cor-

corrigere, neque expellere probe noscerem, jussi tamen, ut dexteræ quoque suræ vesicans applicaretur, experturus an idem eveniret, quod videram de brachiis. Et re quidem vera cum paucos post dies dolor dexteræ tibiæ evanuisset, cœpit altera cruciari.

Nolui amplius iterare experimentum, ne extremitatibus consulens ad nobiliores partes materiem morbificam amandarem.

Interim aderant erosionis in gutture sensus, obtusus vertebrarum lumbarium dolor, summa alvi adstrictio, sensus zonæ abdomen constringentis, frequens extremorum inferiorum crampus, difficilis præ tendinum rigiditate genuum extensio.

Ita se habuit tota hieme; verum februario declinante dolores omnes evanuerunt, & ægra rursus febricula correpta per dies quatuor deliravit.

Posthac nil aliud præter molestum pedum plantæ ardorem, & levem imi dorsi dolorem conquerebatur, unde hinc abiit.

Erpete, rabie pellagrosa sempre con la febbre

HISTORIA XXVIII.

NIcolaus Masetti annorum 60. loci *S. Giorgio* fere nullam agrorum cultui dare operam solebat, neque ea, quæ ad bonum victum sunt necessaria, ei deerant unquam. Spiante Stitichezza

Anno tamen 1777. verno tempore manus plurimum spoliatæ sunt epidermide, idque repetitum est subsequentibus annis, nullo inde sensibili sanitatis orto detrimento.

Contra anno 1784. mense martio fere nullo apparente externo vitio supervenerunt cerebri susurrus, levis genuum contractura, sensuum internorum stupiditas, memoriæ imbecillitas, & sensus tensæ chordæ in dorso, quæ eum ad posteriora trahebat, dum e lecto ~~residere~~ surgere vellet.

Mense octobri huc delatus per dies 24. sumpsit rad. valer. sylv. drach. j. ss. quolibet mane.

Mense novembri cum caput levari videretur, & posterganeam tensionem non conquereretur amplius æger, cœpit os sacrum dolere cum frequenti surarum molestissimo crampo.

Mense decembri spasmodicus dolor ab inguinibus per interiorem femorum partem ad suras usque propagabatur, qui mirum in modum minuebatur dolentem partem oleo olivarum prius ubertim perfusam nuda manu leniter fricando. Hac frictionum specie ad plures dies repetita factum fuit, ut dolor sedem mutando brachia invaderet.

Dum hoc mirabar, aliud mihi se se obtulit observandum; gingivæ enim factæ sunt tumidæ, spongiosæ, & sanguinolentæ. Tunc quovis mane succi concreti nasturtii drach. j. ei præbebam, & victus erat oleraceus.

Declinante februario solidatæ sunt gingivæ, & dolores e brachiis ad crura iterum rediere, iterumque vertebræ lumbares dolere cœperunt.

Initio mensis maii plurimum æger sensit levamen, capitis capillata parte circulis lichenoso-herpeticis fœdata.

Mense junio præscripta fuit *acqua a passare*, ut in Historia XIX.; dein superstite adhuc levi dorsi dolore discessit.

HIS-

HISTORIA XXIX.

Josepha Gambara oppidi *Castano* ann. 42. (cujus filia decennis pellagræ signa jam gerit) cum fœda tinea in juventute laboraret, solo picis emplastro curata fuit.

Anno 1774., postquam lac puero præbere desiisset, corripi cœpit vertigine, diplopia, & anteriori corporis tensione, nullo tamen apparente cutis vitio.

1780. Verno tempore infanti iterum ubera præbens, & agrestibus laboribus, quibus ab annis duodecim assueta non erat, iterum incumbens dorsi manuum ardorem querebatur; æstate autem dum serico conficiendo de more operam navabat, non modo manus, verum etiam pedes pellagroso affecti sunt erythemate.

Posthac extus non apparuit amplius morbus (quod ipsa umbratili vitæ refert acceptum), verum intus adolevit. Etenim anno 1781. mense januario per dies tres deliravit; & anno 1784. cum nullum experta fuisset levamen ex balneis, quibus usa fuerat duobus præcedentibus annis, delirio iterum correpta fuit ad paucos dies. Tandem die 14. novembris huc fuit delata.

Præter dicta narrabat pluries diarrhœa laborasse; menstrua ab annis quatuor emansisse; sæpe ex utero serosum humorem non sine pudendi ardore prodire; dolere os sacrum; extremitates inferiores identidem subsultibus agitari; genua difficulter extendi; sensum tandem in cerebro experiri quasi animalculi sugentis.

Die 19. decembris sub utroque genu ad fibulæ caput apposita sunt vesicantia.

Subsequenti die frequentiores extremorum subsultus miratus sum; verum altera die transacta papulæ milii grano similes in tibiis confertim eruperunt.

Posthac rariores facti sunt subsultus, & sensim evanuere; verum dolor lumborum prosequebatur; capitis pondus ei videbatur intolerabile; somnus erat difficillimus; ex utero ubertim serosus humor prodibat. Tunc paregoricas emulsiones hora somni exhibui, & ope pilularum ex succino, mastiche, rheo, & mucilagine tragacanthi fluor albus constitit.

Mense aprili gingivæ, quæ antea æquo fuerant tumidiores, ita facile sanguinem fundebant, ut quovis mane eo fœdum pulvinarium inveniretur; dolor autem a lumbis ad inguina extensus per interiorem femorum partem ad genua se se propagabat.

Tunc mane, & vespere datum ei fuit sequens decoctum.

℞, *Summitat pin. man. j.*
Aq. commun. unc. xx.
Relinque in fervida digestione per horæ dimidium, dein bull. ad cons. tert. part., sub finem addendo
Nast. aquat. man. sem.
Colat. sumatur calida.

Ita perrexit per dies 36., nullo tamen orto levamine; unde misso decocto cœpit sumere quovis mane succi depurati fumariæ uncias tres cum totidem seri lactis.

Postquam hunc haustum ad dies 23. continuasset, die 12. junii hinc abiit mediocriter se habere referens; aderant adhuc tamen capitis gravitas, & vertebrarum lumbarium obtusus dolor.

HIS-

HISTORIA XXX.

CArolus Pagani loci *Lurago* annorum 32., qui anno 1775. scabiem sulphureo unguento depulerat, 1778. manuum dorsi desquamationem tulit.

Annis subsequentibus nil passus, iterum 1783. manibus idem sensit evenire.

1784. Manuum renovatæ desquamationi accessere sensim diarrhœa, vertigo, suffusio e loco objecta transferens, posterganea corporis tensio, molestus caloris sensus a cerebro ad os usque sacrum se se propagans, genuum contractura.

Mense septembri huc fuit acceptus, & inunctio ol. lumbric. cum spir. sal. ammoniaci fecit, ut genuum facilior evaderet motus.

Mense octobri supervenerunt tussis, sensus erosionis in gutture, sputum sanguine striatum, & uber salivæ fluxus. Decoctio hordei cum lacte, qua pro potu utebatur ordinario, his finem imposuit.

Mense novembri cœpit tenuis humor ex oculis, & naribus stillare cum narium occlusione, & obtuso frontis dolore. Decoctum radicis chinæ dulcis cum lacte ad dies 20. protractum vix profuit.

Mense januario occiput, & cervix ei dolebant.

Mense aprili gingivæ tumidæ factæ sunt, & tibiæ maculis hinc illinc liventibus fœdatæ. Præscripsi decoctum summitatum pini, ut in Historia antecedenti, quod in dies quadraginta sumere perrexit.

Verum cum nullo inde orto levamine pedes livescerent præ primis circa malleolos, & lividis peticulis

con-

diarrea
Vertigine

confertim femora signarentur, victum oleraceum jussi, sero etiam lactis fumaria, & acetosa alterato quovis mane exhibito.

Mirum in modum hæc profuere; symptomata enim scorbutica evanuerunt omnia, unde junio declinante Nosocomio valedixit, cum nil aliud superesset præter narium occlusionem, & frontis obtusum dolorem.

È frequente lo scorbuto che sembra veramente pellagroso

HISTORIA XXXI.

unito a piretica scorbuto

JAcobo Borsani loci *Mozzate* ann. 65., qui bono præditus temperamento bona semper valetudine gavisus fuerat, mense majo anni 1783. manuum dorsum spoliatum est cuticula. Molestum inde quasi rotæ molendinariæ circumactum in cerebro cœpit ipse experiri, & coruscantes scintillas præ oculis cernere.

1784. Nulla desquamatione prodeunte morbus invaluit; supervenit enim summa virium prostratio, spinæ dolor, & frequens opisthotonos.

Initio tandem octobris hoc ingressus est æger Nosocomium, gerens manuum dorsum non desquamatione, sed latis violacei coloris maculis fœdatum.

Victus analepticus, china china, laneæ frictiones, infusum salviæ cum ejusdem extracto nullum ei tulere levamen; adhuc enim capitis, cervicis, spinæ, & crurum dolorem conquerebatur, eique de capite in spinam veluti formicæ descendere videbantur.

Sic tota se gessit hyeme; mense autem martio postquam lividæ manuum maculæ, quæ modo sine morbi au-

augmento evanescere, modo absque levamine reviviscere consueverant, abjissent omnino, dolor sinistram tibiam atrocius invasit; hinc ipsa intumuit, & livido turpata est colore.

Linteola spiritu vini camphorato madida liventi tibiæ applicita nil profuere; imo dolor ambas invasit tibias, ambæque violaceo colore fœdæ tumuerunt.

Tunc ei dedi decoctum summitatum pini, ut in Historia XXIX., & jussi ut linimento sequenti tibiæ inungerentur.

℞. *Nasturt. aquatic. man. ij.*

Coque in s. q. lact., & contunde ad consist. pultis; dein subige in mortario cum s. q. adip. suillæ ut f. linimentum.

Ad paucos dies hæc repetita optime cessit inunctio; tibiæ enim rugavere primum, dein molliores factæ naturalem colorem adeptæ sunt. Verum gingivæ fungosæ, & sanguinolentæ evasere, accessitque tussis, & febricula horis vespertinis exacerbans. Caput interim solito rotæ sensu afficiebatur, neque dolor collum, & spinam unquam deseruerat.

Hisce in miseriis constitutus æger cœpit die 19. maii uncias tres succi nasturtii depurati cum lactis unciis quatuor quovis mane sumere, idque continuatum est ad diem 15. junii.

Evanuit tussis, solidatæ sunt gingivæ; sed caput, & spina ut antea se habebant.

Die 9. julii hinc discessit.

Dum hæc scribo certior fio, ipsum mediocriter se habere, si capitis, dorsique dolores sæpius recurrentes excipiantur. HI-

Spinite curata con salassi avantaggio

HISTORIA XXXII.

Febbre delirio indi cachesie rosse gravide qua e la nuova febbre finite con febbre

Josepha Introina loci *Cedrate* annorum circiter 30. (cujus filius quinquennis deplorabilis morbi jam gerit signa) die 3. junii 1784. huc fuit delata, utpote a tribus annis pellagra laborans. Febris aderat erratica, dolebant extremitates, pulsus erant duriusculi, gingivæ rubebant, nec deerat delirium. Sanguis e vena extractus plurimum seri, cruoremque mediocris consistentiæ exhibuit.

Die 15. febris, quæ hactenus irregulari typo eam vexaverat, cessavit; unde præmisso longo usu seri lactis herbis antiscorbuticis alterati balneis domesticis eam tradidimus.

Dum hisce utebatur, rubore quodam evanido modo pectus, modo brachia, modo vultus afficiebatur; ardoris sensus, qui pedes urebat, aliquando etiam per totum corpus vagabatur; sudor plurimus erumpebat post balneum, & manus, ac pedes tota die madebant.

Die 8. augusti discessit bene valens, erumpentibus etiam menstruis a tribus annis suppressis.

Domi degens optima gavisa est valetudine usque ad finem octobris, quo iterum alvi fluxu, artuumque doloribus correpta fuit.

Die 1. novembris rursus curandam accepi. Febris aderat quotidiana remittens; pulsus erant duriusculi, & dolores corporis extremitates acerrime torquebant.

Die 2. dolor pectus a scapulis ad sternum terebrans fuit adeo gravis, ut ægra vix respirare posset. A cucurbitulis in dorso scarificatis factum fuit, ut levato pectore do-

dolores extrema iterum adorirentur. Quare ut perspirationem, & urinas, quæ parce fluebant, cierem, infusionem florum sambuci, cui nitrum, & syrupus althææ addebantur, pro potu ordinario præscripsi.

Die 8. morbus iterum pectus invasit, unde dolor sternum terebrans revivixit cum aliqua respirandi difficultate, & febris augmento. Venæ sectionem, quam adhuc ob virium imbecillitatem, & maciem instituere veritus fueram, celebrari nunc jussi, & sanguis e brachio eductus non paucum serum dedit subcærulei coloris, cruorque densus tenaci crusta flavescenti tectus apparuit. Tunc infuso florum verbasci nitrum, & oxymel simplex pro potu communi addebatur.

Die 10. sanguis e pedis vena missus, ut antea, fuit. Hac methodo, plurimo erumpente sudore, febris cessavit.

Serum lactis radice bardanæ alteratum quovis mane sumere dein cœperat; verum cum nausea, fœtidus halitus, major pupillæ dilatatio, & lumbrici per alvum dejectio colluviem verminosam denotarent, sequentes præscriptæ sunt pilulæ.

℞. *Camphor. ras. scrup. sem.*
Ass. fœtid. gr. vj.
Pulv. santonic. drach. ij.
Mell. q. s.
F. pil. n. jx.
Cap. iij. mane, merid. & vespere.

Dein pluries alvus mota est non sine plurium lumbricorum ejectione sequentis pulveris ope.

℞. *Rad. jalap.*
Sal. polychrest. an. drach. sem.
M. f. p.

Perrexit postea serum sumere radice bardanæ alteratum usque ad diem 5. decembris, qua iterum dolor pectoris punctorius in scenam prodiit, vespere ita exacerbatus, ut narcoticis fuerit opus. Datus igitur fuit sequens haustus.

℞. *Aq. viol. unc. iij.*
Laud. liquid. Sydenh. gutt. x.
Syrup. diacod. unc. sem.
M.

Hinc factum fuit, ut miti facto dolore quietam noctem ægra transigeret.

Decembri declinante ad extremitates rursus acri translato humore, crura, & brachia circa carpos potissimum cruciabantur. Decoctum radicis chinæ dulcis cum lacte ei præbebatur quotidie.

Sensim ita minuti sunt dolores, ut mense februario levis ad carpos dolor, & tumor superesset.

Mense aprili cum gingivæ, quæ nimis rubræ semper fuerunt, tumidiores evaderent, & genua œdematose intumescerent, jussi, ut quadraginta dierum spatio decoctum summitatum pini, ut in Historia XXIX., mane sumeret, & vespere. Factum hinc fuit, ut ægra melius habens initio junii ad patriam rediret.

HISTORIA XXXIII.

CArolus Joseph Canzi loci *Cerriano* annorum 50., qui quadraginta abhinc annis patrem pellagrosum mortuum meminit, externa pellagræ signa & ipse gerere cœperat, unde anno 1782. in majori Urbis Nosocomio acceptus fuit, ubi præter balnea, aquam tedæ, & abietis decoctum ad plures menses sumpsit.

Post hæc ad lares se contulit, ubi morbus sensim increvit, scelotyrbe, & capitis accedente gravitate.

Anno 1784. iterum ibi accepto balnea iterum, & aqua tedæ ei fuit præscripta.

1785. Declinante martio ad me venit nil aliud conquerens præter ardoris sensum in dextero capitis latere, & brachii, dexterique cruris summam debilitatem.

Præmisso leni eccoprotico per dies 20. sumpsit quovis mane lib. j. ss. seri lactis cichorio, & fumaria alterati; dein electuarii lenitivi ope repurgatus balnea adivit domestica ad dies triginta, quibus peractis iterum ope pulpæ cassiæ, & trochifc. viol. alvus mota est.

Mense julio discessit, superstite capitis ardore; quod morbum adhuc latere significabat. Et re quidem vera accepi postea, mense septembri ipsi iterum manus nonnihil desquamatas fuisse.

fare una febbre così detta gastrica, ma niente
non si parla però di febbre

Gastroenterite
lingua biancastra
... cerebrali

HISTORIA XXXIV.

Angelus Maria Basilica loci *S. Dalmazio* annorum 33., forti, & sanguineo præditus temperamento, qui a sex annis quovis vere dorsi manuum levem senserat desquamationem, & bis in majori Mediolani Nosocomio balneis usus fuerat domesticis, die 21. martii 1785. delirio detentus huc fuit delatus.

Sanguis e vena brachii extractus laxæ fuit compagis, plurimumque exhibuit serum.

Die ab ingressu octava sudore plurimo erumpente delirium evanuit, superstite molestissimo cerebri susurru, & summa virium prostratione.

Quoniam lingua semper albo obtegebatur glutine, pluries æger purgatus fuit lenibus eccoproticis.

Mense majo perrexit spatio dierum 24. sumere quovis mane succi depurati fumariæ unc. iij. in seri lactis unc. jv.

Mense junio quavis hebdomada sequens haustus alvum liquabat.

℞. *Mann. elect. unc. iij.*
Sal. anglic. unc. sem.
Solve in decoct. cichor. unc. vj.
Cola. F. haustus.

Mense julio balneum tepidum ingressus est per dies 24.

Mense augusto discessit levem adhuc conquerens cerebri susurrum grylli cantum æmulantem, & oris labia gerens sublivida.

Mense

Mense decembri, cum eum videre exoptassem, ad me venit referens, se optime habuisse; levem tamen cerebri persistere susurrum.

HISTORIA XXXV.

Joseph Monti loci *Barlassina* annorum 28. artem Laterarii exercens ab annis quinque pellagrosus evaserat; unde huc venit junio declinante 1785.

Cephalæa, molestus circa oculos pruritus, oris labiorum livor, pedum ardor, maculæ umbrinæ irregularis magnitudinis frontem deturpantes, & dolor cum formicationis sensu in spina dorsi modo sursum ad vertebras cervicales se attollens, modo ad os sacrum, & crura descendens præcipua fuere symptomata, quæ in hujusmodi ægro observavi.

Præmissa venæ sectione, & leni eccoprotico ex pulpa cassiæ, & tartari cremore, balneum tepidum ingressus est per dies 24.; dein per totidem hoc sumpsit quovis mane medicamentum.

℞. *Decoct. hord. unc. xx.*
Rob. sambuc. unc. j.
Vin. generos. unc. iij.
Aq. cinnamom. unc. sem.
M. Sumat æger calide, & disponat corpus ad sudorem.

Sudor reapse plurimus per binas horas quotidie ab hujusmodi sumpto remedio erumpebat.

Ini-

Il sudore è sempre utile nei casi apiretici

Initio septembris cum plantæ pedum ardor ne minutus quidem videretur, reiterato eccoprotico data ei fuit lib. j. ÷ seri lactis acetosa alterati, quod mane sumere continuavit spatio dierum 22.

Tunc, cum etiam ardor pedum evanuisset, hinc abiit superstite tantum labiorum livore.

HISTORIA XXXVI.

Sprinite apiretica / evacuite lenta / Sudore utile

Josepha Righi ann. 24. phlegmatica temperie prædita loci *Canegrate* Nosocomium ingressa est declinante aprili 1785. narrans, sibi ab annis quinque manus leviter desquamari consuevisse, sensimque supervenisse capitis gravitatem, saporem oris salinum, artuum inferiorum debilitatem, & dorsi dolorem.

Mira, quam in aliis observaveram, doloris dorsi successiva mutatio etiam in hac ægra visa est. Etenim modo cerebrum præ cæteris afficiebatur, & tunc horis præsertim matutinis caput ei adeo grave videbatur, ut præ intolerabili pondere vix posset sustineri; modo cervix dolebat, tuncque dolore ad brachia protenso manus etiam sæpe crampo contrahebantur. Quod si sacrum os vexaretur præ cæteris, extremitates inferiores dolore quoque, & crampo afficiebantur.

Serum lactis cichorio alteratum sumpsit ægra per dies 20., dein per totidem balneum tepidum ingressa est.

Hisce nil proficientibus decoctum e lignis sudoriferis ei dedimus per dies 24.

Sudor,

Sudor, qui inde solebat quotidie horis matutinis erumpere, profuisse visus est; nam medio septembri hinc abiit, nil aliud conquerens præter levem imi dorsi dolorem.

HISTORIA XXXVII.

MAgdalena Molli loci *Solbiate sull' Arno* ann. 34., quæ ab annis quatuor pellagrosa evaserat, huc intravit mense junio 1784. vertigine, auris sinistræ tinnitu, diarrhœa, ardore pedum laborans.

Simplex seri lactis lotio brevi manuum, pedumque erysipelatosam desquamationem abstulit.

Diarrhœa, quæ decocto ſimaroubæ restiterat, cessavit ope potionis ex succo mali medici.

Balneum tepidum ingressa est per dies 18, dein per 10 sumpsit aq. tæd. unc. viij.

Plurimus interim per totum corpus erumpebat sudor circa manus potissimum, & pedes; unde ardor, quem querebatur, evanuit ita, ut dum hinc discedebat nil ei superesset præter auris syrigmum.

Domi degens bene habuit usque ad mensem februarium anni subsequentis 1785, quo cœpit imum dorsum ei dolere.

Mense martio reviviscente manuum desquamatione dolor lumborum evanuit, & ejus loco caput ipsum affectum fuit; supervenerunt enim cephalæa, vertigo, visus hebetatio, frequens opisthotonos.

Mense majo hisce in miseriis constituta mulier ad me venit, ut rursus hic acciperetur.

Præmisso leni purgante ex magnesia, & rheo, dedi ei spatio mensis haustum sequentem.

℞. *Succ. depur. nast. aquat. unc. iij.*

Sal. absinth. alcal. gr. vj.

M. Cap. mane.

Mense junio levato capite iterum dolor in imis vertebris lumbaribus revivixit.

Die 24. ejusdem mensis dolor hicce, quasi ictus globi ab ignea ballista explosi, sursum ad superiores vertebras dorsales ascendit, summam inferens inopinato respirandi difficultatem; vespere vero iterum unde venerat redivit.

Mense julio dum ægra balneis utebatur domesticis, dolor dorsum deseruit, & cœpit cervicem afficere cum quodam brachiorum torpore; dein caput etiam rursus occupavit supervenientibus hemeralopia, sive vespertina cæcitate, & gravativo dolore præ primis in dextero capitis latere.

Cucurbitulæ in dorso, & nucha scarificatæ colli, & brachiorum, non vero capitis dolori profuerunt.

Neque sensibile levamen ortum est ab emplastro vesicatorio occipiti applicito; unde adhuc hemicrania laborans abiit ægra ineunte septembri.

HISTORIA XXXVIII.

ELisabeth Rampinini loci *Castellanza* ann. circiter 45. plethorica temperie donata mense augusto 1784. mihi se se obtulit, ut in hoc acciperetur Nosocomio.

Manus,

Manus, & pedes phlyctænoso erythemate rubebant; oris labia livebant; gravativus occipitis dolor ad vertebras dorsales protendebatur; sapor oris erat muriaticus; auris dextera tinniebat; pruriebant oculorum palpebræ, & sensus aderat talis faucium constrictionis, ut nonnihil læderetur respirandi facultas.

Venæ sectio, cucurbitulæ dorso scarificatæ, hirudines temporibus applicitæ, balnea domestica plurimum profuere; quapropter mense novembri ad domesticas curas ægra se contulit.

Domi bene habuit usque ad februarii finem anni subsequentis 1785., quo auris susurrus, qui tota præcedenti hyeme perduraverat, molestior factus est, & oris sapor salinus cum cæteris revivixit, manuum etiam superveniente desquamatione; unde mense aprili rursus huc fuit admissa.

Quoniam omnia, quæ anno antecedenti narraverat, adhuc aderant, ideo ipsamet auxilia repetita fuerunt, sed nullo levamine.

Mense julio data ei fuit aqua communis vulgo *a passare* ut in Historia XIX.

Mense augusto aqua calcis ad unc. x. quovis mane sumenda continuata fuit per dies 40. Interim sapor oris, qui ut dixi muriatico erat similis, fiebat mitis, & aliquando parum ab austero dissimilis.

Mense septembri aqua communis iterum repetita est ut mense julio.

Ineunte octobri discessit paucum experta levamen, superstite etiam leviori salino sapore.

Nella spinite i bagni sono utili

HISTORIA XXXIX.

Spinite aspirativa
incurabile
Bagni utili

ANgela Macchi loci *Fagnano* ann. 30. regularibus semper catameniis gavisa, etsi a pluribus annis externa ferret pellagræ signa, nullum tamen salutis damnum saltem sensibile experiebatur.

1784. Solitæ desquamationi vertigo accessit, diplopia, & aurium susurrus.

1785. Morbo ingravescente tandem die 15. martii ad hoc se contulit Nosocomium, fronte maculis terreis deturpata, & manuum dorso epidermide exspoliato.

Doloris dorsi, quem querebatur, mutationes præ cæteris placuit attente observare; mira enim fuit ejusdem successio.

Mense aprili occiput dolebat; brachia erant torpida; caput postrorsum invite trahebatur, & sæpe ægra progrediens currere cogebatur.

Mense majo evanescentibus jam dictis symptomatibus, dolor cœpit lumbares vertebras occupare ad totum abdomen se se propagans cum umbilici retractione, & formicatione extremitatum.

Mense junio vertebrarum dolor sensim ad os sacrum descendens effecit, ut inferiores extremitates puncturis dolorificis vexatæ sæpe coacte subsilirent.

Cum matutinus haustus ex unc. iij. succi depurati nasturtii, & alcali fix. vegetab. gr. vj. ad dies 20. protractus nil profuisset, balnea domestica ingressa ægra est per dies 24.; quibus transactis cum nil remaneret, nisi levis genuum dolor, & pedum ardor, abiit, nonnullis fuscis maculis adhuc fronte fœdata.

HIS-

HISTORIA XL.

PAsqualina Poncirola ann. 27. loci *Borsano*, cujus parentes ambo pellagrosi occubuere, mihi se se obtulit die 15. aprilis 1785. gerens manus, & pedes phlyctænis, ac epidermidis separatione turpes.

Gingivæ rubebant; sapor oris erat salinus; objecta sæpe gemina apparebant; humor acer loco catameniorum e vulva stillabat, & quod erat frequentius, dolor dorsi ad abdomen protendebatur cum umbilici retractione, & extremitatum stupore.

Vitia externa post paucos ab ingressu dies sponte evanuerunt: cæteris autem neque profuit haustus seri lactis fumaria alterati per dies 20., neque aqua communis exhibita methodo *a passare*.

HISTORIA XLI.

MAria Morelli annorum 18. loci *Canegrate*, cui a decem annis epidermis in dorso manuum exfoliabatur, mense martio 1785. ad me venit optimo ita corporis habitu donata, ut sanam jurassem.

Quæ autem pateretur, ab ea cum quærerem, respondit, caput, & scapulas dolere, pedes molesto cruciari ardore, aures tinnire, & sæpe progredientem currere cogi.

Sub finem aprilis primum eam purgavi ope rhei, & magnesiæ; dein jussi, ut quovis mane stragulis bene tecta hanc sumeret mixturam.

℞. *Aq. salv. unc. iij.*
Spir. sal. ammon. gutt. xij.
Syrup. alth. unc. sem.
M.

Dum sic continuabat dierum 24. spatio, menstrua purgatio primum erupit; sed sapor oris factus est ei salinus, quod nondum fuerat experta.

Mense junio præscripsi, ut vespere totum corpus, juxta spinam præcipue, laneis pannis fricaretur, & mane sequens ei præberetur decoctum.

℞. *Lign. guajac. ras. unc. sem.*
Rad. liquir. drach. ij.
Relinque in digestione per noctem, dein addendo
Card. bened. man. sem.
Bull. vase clauso per hor. $\frac{1}{2}$
Colat. unc. xij. sumatur calida mane cum determinatione ad sudorem.

Mensis spatio continuatum hoc fuit, leni quavis vice erumpente sudore.

Dolor interim, cujus antea sedes in vertebris erat dorsalibus, usque ad os sacrum subsedit; unde factum fuit, ut caput levaretur, & contra inferiores afficerentur extremitates.

Mense augusto gingivæ nonnihil tumentes sanguinem a pressione facile fundebant. Tunc dabatur illi sequens remedium.

℞. *Succ. depur. nasturt. aqu. unc. iij.*
Sal. absinth. alcal. gr. vj.
M. cap. mane.

Postquam hoc continuasset per dies 15. gingivæ solidatæ sunt, & ægra melius habuit quoad dolores.

Mense

Mense septembri discessit, superstite adhuc levi lumborum dolore, & fronte maculis luridis deturpata.

Quoniam discedenti ei jusseram, ut si quid novi eveniret, iterum me consuleret, post paucos dies ad me venit ostendens mihi manus, & brachia levi erythemate rubentia, quod ei evenisse narrabat prima die, qua se ad agrestes labores contulerat; unde vereor, ne vere venturo pejus habeat.

Quæ sequuntur, etsi nondum completæ sint, utpote adhuc hic decumbentium ægrorum Historiæ, eas tamen optimum duxi afferre, alias Superis faventibus continuationem relaturus.

HISTORIA XLII.

Hieronyma Zaffaroni ann. 36. loci *Cislago* (cujus amita pellagræ morbo decessit, & filius annum ætatis agens octavum jam incipit in manuum dorso desquamari) anno 1780., cum fœtum gereret, manus epidermide sensit exspoliari, idque repetitum fuit duobus sequentibus annis.

Delirio cronico
cerebro [illegible]
Idromania
indi
spirito [illegible]

1783. Levissimo prodeunte manuum vitio ad paucos dies deliravit.

1784. Etsi rursus utero gravis domi fere semper detineretur, & nil extus appareret, delirium tamen factum est diuturnum, maxime postquam mense majo peperisset.

E domo fugiens per solitudines noctivaga sæpe in obvia stagna se projiciebat. Quod si eam maritus corripe-

riperet inventam, se tali uri ardore respondebat, in capite præsertim, ut eum morte extinguere vellet.

Hisce in miseriis constitutam accepi mense septembri 1784.

Delirium tota hyeme perduravit, etsi setaceum collo apertum detineretur. Canens, & clamans insomnes noctes transigebat; carbones, calcis fragmenta, ovorum testas, ossa in deliciis habebat; quin immo ad tantum devenerat, ut alvi fæces ederet.

Mense martio delirium sensim evanuit, & ægra melius habuit.

Per dies 24. sumpsit sequens remedium.

℞. *Ol. tart. per deliq. gutt. xij.*
Aq. card. bened. unc. jv.
M. Cap. mane.

Dein per mensem decoctum e lignis sudoriferis ei fuit exhibitum.

Mense julio domestica balnea ingressa est.

Mense augusto sensuum internorum facultatibus optime pollens tali corporis habitu donabatur, ut sana videretur; supererat vero obtusus dolor in pede sinistro.

Mense octobri cœpit imum dorsum dolere, & caput ardoris sensu cruciari horis præsertim vespertinis.

Mense novembri limpidus humor salis marini saporem æmulans sæpe ubertim in os confluebat; cui accessere frequentes circa umbilicum dolores, ventris murmura, & borborygmi.

HIS-

HISTORIA XLIII.

MAgdalena Grassi loci *Asnago* ann. 50. ad hoc Nosocomium delata fuit mense majo 1785. delirans, & manuum, pedumque dorsum epidermide gerens exspoliatum.

Quæ præcesserant scire non potui: quæ autem hic observavi breviter describam.

Opium horis vespertinis exhibitum somnum ne per minutum quidem conciliare potuit, etsi ad gr. ij. devenerim.

Camphora delirium auxit; glacies capiti raso imposita nonnihil ægram stupefacere videbatur; setaceum collo inutile fuit; potus aquæ gelidæ nullum attulit levamen: quod etiam dicendum de balneis domesticis, & de vesicatorio emplastro circa posterius suturæ sagittalis extremum applicito. Uno verbo hisce omnibus incassum tentatis ægra ut antea delirat modo clamans, modo plorans, noctesque transigens insomnes.

Notandum est autem diuturni hujus delirii decursu pulsus semper fuisse duriusculos, & celeres, sudore sæpe peculiaris odoris per totum corpus erumpente; unde nil mirum si macies accesserit.

Delirio cronic[o] febrile
Canfora nociv[a] utile il bagno f[...] sulla testa
polsi duri freq[...]
sudor fetido [...]
utile

HISTORIA XLIV.

ANtonius Maria Monticelli loci *Lainate* ann. 37. a pluribus annis manuum pellagrosam desquamationem ferre cœperat quovis vere, ita tamen, ut agrorum culturæ incumbere prosequeretur.

Tem-

Temporis progressu, cum plura ex iis, quæ pellagræ sunt, symptomata sensim accessissent, ut diarrhœa, vertigo, delirium per vices recurrens, quater in majori Mediolani Nosocomio acceptus fuit, quaterque balneis usus est domesticis.

1785. Mense martio huc ingrediens, etsi nullo cutis vitio fœdaretur (desquamationem enim jamdiu a quatuor annis minime apparuisse narrabat), plura tamen conquerebatur, quæ inveteratum morbum denotabant, uti sunt visus hebetatio, oculorum lacrymatio, obturamentum narium, sapor muriaticus, frequens exspuitio, tussis, dolor imi dorsi, & inferiorum extremitatum debilitas.

Quoniam tussis symptoma gravius videbatur (molesta enim erat, & sputum modo sanguinis striis, modo purulentis floccis interspersum prodibat), ideo primum omnem industriam collocavi, ut imminenti phthisi obviam irem. Hinc statim diæta semilactea præscripta fuit, & mane decoctum rad. chin. dulc. cum lacte præbebatur.

Methodus hæc continuata fuit usque ad medium aprilem, quo, cum adhuc tussicula sensu erosionis stipata persisteret, non omissa solita diæta ei cœpi dare mane, & vespere drach. j. ss. pulv. Haly.

Mense majo evanuit tussis; verum dolor cœpit modo sursum elevari usque ad occiput, modo iterum deorsum ferri varia producens symptomata juxta situs diversitatem. Etenim si dolor in cervicalibus, aut dorsalibus vertebris maxime sæviebat, tunc etiam ad collum, brachia, & scapulas protendebatur; si in lumbares descendebat, tunc sæpe abdomen zonæ sensu constringebatur; si tandem in sacrum os perducebatur, tunc etiam

crura

crura cruciabantur dolore, cujus situs, & directio talis ut plurimum erat, ut æger digito cruralis, vel ischiadici nervi decursum optime commonstraret.

Notandum autem est, quod hujusmodi successiva dolorum series ita celeriter procedebat, ut dolor eam partem, quam mane occupabat, vespere desereret alio translatus.

Mense junio, dum ita æger se habebat, præscripta fuit aqua communis *a passare* ut in Historia XIX.

Mense julio dare ei cœpi quovis mane unc. x. aq. calc., & ita per dies 30. continuavit.

Mense septembri repetita est aqua communis ut mense junio. Dolores quidem minuti sunt, & æger melius habuit; supererant vero oculorum lacrymatio, & obturatio narium.

Mense novembri accessit dolor stomachi, modo ad dexterum, modo ad sinistrum hypochondrium, modo ad scapulas usque se se protendens; & sæpe limpidus humor salis marini saporem excitans ubertim in os confluebat, horis præsertim matutinis.

HISTORIA XLV.

FLorentia Mavola ann. 19. loci *Invruno* (cujus mater jamdiu pellagrosa occubuit, pater autem, fratres, ac soror eodem quoque morbo laborant) huc ingrediens mense octobri 1784. narrabat, se ab infantia manuum, pedumque desquamationi fuisse obnoxiam, & ter in majori Mediolani Nosocomio acceptam balneis domesticis usam fuisse.

Optimo corporis habitu, & plethorica temperie pollebat; cephalæam conquerebatur continuam, & manus, ac pedes interno cruciabantur urenti ardore.

Hirudines temporibus applicitæ caput paullulum levarunt.

Tota subsequenti hyeme, cum mediocriter se gereret, nil ei præscripsi, experturus an optimum victus genus ad curationem tam diri morbi sufficeret. Verum mense aprili ægra cœpit pejus habere; capitis enim gravativus dolor factus est major, & frontem maculæ ferrugineæ irregulariter deturparunt; quin immo cum in hujus Nosocomii peristylio ambulans indirectis solis radiis se se exponeret, manus, & pedes erythemate rubuere.

Panni sero lactis, in quo flores sambuci incocti fuerant, madidi applicatio effecit, ut sudor ibi erumpens ruborem, ardoremque tolleret molestum.

Mense junio gravativo capitis dolori alius accessit totum spinæ decursum occupans, modo inter scapulas sæviens cum brachiorum torpedine, & postergatica corporis tensione, modo ad os sacrum descendens cum inferiorum artuum debilitate.

Mense julio hisce omnibus perdurantibus, sapor, quem præteritis annis experta fuerat marino sali similem, ita revivixit, ut cibi omnes nimia salis copia conditi ei viderentur.

Balnea domestica, & aqua calcis, quam mane ad unc. x. per dies 50. sumpsit, nullum attulere levamen, si saporis salini imminutio excipiatur; puella enim ista rite menstruata, optimoque corporis habitu, & colore

præ-

prædita adhuc modo capite laborat, modo dolore dorsi afficitur cum brachiorum torpore, & formicatione. Mirus hujusmodi e capite ad dorsum, e dorso ad caput doloris transitus ita evidenter contingit, ut una die caput tantum, altera tantum dorsum afficiatur.

HISTORIA XLVI.

Joseph Cozzi annorum 65. Faber lignarius loci *Lainate* mense majo 1784, cum die festo per agros apertos supplicans cum sodalibus, ut sacer est mos, nudum caput solis radiis exposuisset, capite cœpit dolere, dein paucos post dies dorsum manuum epidermide spoliatum est.

1785. Manuum vitio reviviscente stupidus factus est, imbecillis, & ita artubus inferioribus debilis, ut lecto detineretur.

Huc mense julio delato dedimus ad mensem pulv. chin. chin. drach. j. cum rad. valer. drach. sem. quovis mane; dein per dies 15 hoc sumpsit remedium.

℞. *Ol. æther. tereb. gutt. x.*
Sacchar. alb. drach. ij.
Simul contritis in mortar. vitreo adde
Extract. salv. drach. j.
Aq. flor. tiliæ unc. iij.
M. Cap. mane.

Hisce vis nervea ita revivixit, ut absque fulcro æger hilaris nunc progrediatur; remanent tamen pedum ardor noctu intolerabilis, & quidam cerebri susurrus parvi horologii tinnitum æmulans.

Arnica nociva

HISTORIA XLVII.

JOseph Antonius Citeri Sartor loci *Cornaredo* annor. circiter 45., qui a biennio pellagrosus evaserat, medio augusto 1785. huc venit.

Ob inferiorum artuum debilitatem nutans progrediebatur; brachia etiam sustentata subsiliebant; mentis aderat confusio, & auris sinistra moleste tinniebat: quæ omnia primo vere graviora fuisse narrabat.

Balnea domestica, & aqua communis *a passare* minime profuerunt; ab usu autem florum arnicæ pejus habuit.

HISTORIA XLVIII.

Spirito epiretico tremolio rimarch.

JOannes Langè loci *Castano* ann. 30. mense junio 1785. ingressus est hoc Nosocomium, utpote a biennio pellagra laborans.

Oris labia arida erant, & scissa; manus, & pedes epidermide exspoliabantur; imum dolebat dorsum, & quod mirum videbitur, artus omnes præ debilitate tremebant, etsi æger athletico corporis habitu, & florido donaretur colore.

Primis ab ingressu diebus omnia evanuerunt externa vitia absque ulla topica applicatione.

Mense julio balnea frigida ad dies 20. protracta fuerunt, unde virium aliquod augmentum ortum est.

Mense augusto data est ei sequens potio.

℞. *Aq. Rabel. drach. ij.*

Aqu. commun. lib. jv.

M. Cap. partitim in die.

Etsi

Etsi ita continuatum fuerit spatio dierum 24., sensim augendo dosim aqu. Rabel. ad unc. sem., nulla tamen in melius visa est mutatio, & nulla in pejus; debilitatem enim adhuc conqueritur æger, dolore ab imo dorso ad occipitis sinistram partem elevato.

HISTORIA XLIX.

CHristophorus Bellazzi ann. 40. loci *Lonate Pozzolo* huc venit initio mensis augusti 1785. narrans se a pluribus annis pellagra laborare.

Auris sinistra tinniebat; dorsum dolore modo sursum ad cervicem ascendente, modo ad os sacrum descendente afficiebatur; gressus erat difficilis ob quamdam inferiorum extremitatum contracturam; brachia etiam sustentata tremore subsiliebant; et si æger lecto ~~considere~~ vellet, sensum tensæ chordæ in dorso experiebatur, quæ crura contrahens postrorsum eum trahebat.

Post balnea 24. æger hic sumpsit quovis mane per dies 30. ol. tart. per deliq. gutt. xv. in aqu. commun. unc. vj.

Posthac dolores dorsi quidem evanuerunt, sed cætera supersunt, tinnitu a sinistra aure ad dexteram translato.

HISTORIA L.

COnstantia Cattanea ann. 18. loci *S. Stefano*, cujus mater, & soror pellagræ morbo laborant, ineunte vere anni 1784. cœpit & ipsa manuum desquamationem ferre,

cui

cui cum plura alia pellagræ sensim accessisent symptomata, tandem mense martio 1785. pallida, & emaciata huc fuit delata.

Gingivæ plus æquo tumebant; lectulus, in quo jacebat, in gyrum ei versari videbatur; objecta gemina apparebant; talis erat corporis ad sensum gravitas, ut se plumbeam diceret; caput autem, si ipsa a custodibus hora pastus sustineretur, versus occiput trahebatur.

Infusum flor. arnic. exhibitum fuit ad dies 15. hoc modo.

℞. *Flor. arnic. drach. ij.*

Infund. in s. q. aq. fervent. per hor. dimid. vase clauso, dein colat. lib. j. adde

Syrup. alth. unc. j. ss.

Cap. partitis vicibus in die.

Verum cum febris supervenisset, & delirium, infusum arnicæ omisi.

Delirium ad paucos dies duravit; sed postea attonita, & immobilis vix interroganti respondebat se male habere; calor ad carpos urens erat; facies rubebat; pulsus tamen adeo erant lenti, & tardi, ut vix quadragesies in minuto pulsarent.

Tunc data, & repetita fuit hujusmodi mixtura.

℞. *Aq. flor. tiliæ unc. iij.*

Liq. c. c. succin. drach. sem.

Syrup. alth. unc. j.

M. Absumat cochleatim intra nychthemerum.

Mense junio ineunte, cum ægra melius haberet, aliquando e lecto semetipsam tollens, quovis mane sumebat hunc bolum.

℞.

℞. *Pulv. cort. peruv. drach. j.*
——— rad. valer. sylv. drach. sem.
Mell. q. s. ut fiat bolus.

Sub finem julii calor corporis urens erat; pulsus admodum erant celeres, & sæpe sudor peculiaris odoris vires iterum prosternebat: hinc ægra cochleatim sumebat mixturam sequentem.

℞. *Extract. chin. chin. drach. ij.*
Solve in aq. tot. citr. unc. iij., & adde
Spir. vitriol. gut. xx.
Syrup. cort. citr. unc. j. ss.

Plurimum hæc profuit ad multos dies continuata mixtura; febris enim evanuit, & sudor. Ægra vero debilis, & macie confecta ob gingivarum fungositatem, & erosionem vix poterat manducare; unde jusculum sequens tentatum fuit.

℞. *Carn. vitul. pingued. expert. unc. jv.*
Aven. unc. j.
Aq. font. q. s. Decoque donec caro sit cocta.
Colat. adde
Nasturt. aquat.
Acetos. an. man. j.
Iterum leniter ebull.
Colat. unc. xvj. cap. dimid. mane, & reliquum vespere.

Pluries hoc repetito alvus mollis, & nimis frequens evaserat, febricula erratica iterum oborta. Tunc cœpi ei dare mane, & vespere succ. limon. unc. ij, & jussi, ut victus, qui adhuc ex juribus, panatellis, & ovis fuerat, oleraceus esset.

His-

Hisce per mensem continuatis mirum sensit ægra levamen ; gingivis enim optime solidatis in dies vires adipiscebatur, ita ut perfectæ sanitati restituta videretur.

Verum mense novembri cœpit lumbarium vertebrarum conqueri dolorem, qui ad sinistrum sæpe hypochodrium protendebatur.

HISTORIA LI.

Spinite con aracnite cronica

ANgela Maria Orsini oppidi *Gallarate* ann. 26., etsi victum arte suendi sibi compararet, ab annis tamen quinque cœpit manuum desquamationem animadvertere.

1785. Cum vitio externo cephalæa accessiset, & dolor vertebrarum, huc venit mense majo.

Primo venæ sectione e pede celebrata balnea domestica ingressa est per dies 24.; hinc catamenia ab annis duobus suppressa rediere.

Dein præscriptum fuit decoctum e lignis sudoriferis, quod mane sumebat cum determinatione ad sudorem.

Sudor quidem plurimus mane erumpebat, & vespere pannis laneis dorsum ruditer ei fricabatur.

Methodus hæc continuata fuit mensis spatio, sed nullum inde sensibile ortum est levamen; dolor enim juxta spinæ dorsi decursum modo ad caput, modo ad crura vagatur, & plantæ pedum ardore interno cruciantur.

HISTO-

HISTORIA LII.

MArtha Basilica loci *S. Dalmazio* annos nunc agens 36. externum pellagræ vitium quovis vere a pluribus annis sibi senserat renovari, quin sensibile experiretur sanitatis detrimentum.

1784. Mense junio extremitatum inferiorum talem experiri cœpit debilitatem, ut progrediendi sensim amitteret facultatem; tandem initio novembris hoc intravit Nosocomium.

Per totum corpus pustulæ serum effundentes pruritum maximum ei afferebant; flammæ sensu in ventre cruciabatur; abdominis musculi ita sæpe subsiliebant, ut manus agitaretur imposita; clonicis subsultibus inferiores quoque convellebantur extremitates; lecto decumbens si ~~residere~~ erigi per se tentaret ægra retrorsum invita trahebatur; e lecto autem a custodibus tracta ne gradum quidem efficere poterat, quin nutans humi corrueret præ artuum debilitate.

Seri lactis lib. j. ÷, in qua radix bardanæ incocta fuerat, quotidie per dies 15. sumpsit; dein extracti hyoscyami periculum facere statui: unde die 26. novembris incepi ei præbere ejusdem gr. vj. tripartita dosi in die.

Die 2. decembris aucta est dosis ad gr. jx, & sic per dies 10. perrexit. Etsi nullum inde sensibilem viderem effectum, experimentum tamen continuassem, ni extractum ipsum defuisset.

Mense junio vesicatoriis sub utroque genu ad caput fibulæ admotis subsultus extremitatum facti sunt rariores, & sensim evanuerunt.

Mense februario eruperunt menstrua a pluribus annis suppressa.

Mense martio florum arnicæ virtus antiparalytica sic fuit tentata.

℞. *Pulv. subt. flor. arnic. drach. ij.*
Mell. q. s. f. bol. n. jv.
S. Cap. partitim in die.

Dosis florum sensim aucta fuit ad unc. sem., sic per dies 20. experimentum continuando.

Dum tali utebatur medicamento ægra post quemlibet bolum ardorem stomachi, & spinæ dorsi conquerebatur; sed erat momentaneus hujusmodi sensus.

Posthac sensim cœpit ægra vires resumere, ita ut absque fulcro progrederetur.

Mense majo declinante sinistræ tibiæ sura cum dolore livorem contraxit, & gingivæ tumidiores factæ sunt. Tunc per dies 20. data ei fuit seri lactis fumaria alterati lib. j. ÷, victu interim exhibito oleraceo.

Mense julio balneum frigidum ingressa est quotidie.

Nunc ait bene se valere; superstite tamen levi lumborum dolore, aurium susurru, & molesto quodam sensu in fronte quasi circumeuntis animalculi.

HISTORIA LIII.

Scabia pell.a
ardore buccale
vacuita indi
finite migliorata
colla moxa

DOminicus Guzzetti loci *Turate* ann. 45. athletico temperamento donatus vere anni 1782. prurientium papularum per totum corpus eruptionem, & oris dolorificum ardorem passus est.

1783. Mense majo cephalæa laboranti pluries ei missus est sanguis, dein balneo domestico usus est ad plures dies. Hinc factum fuit, ut levato capite dolere dorsum inciperet cum inferiorum artuum debilitate, ut lecto affixus ne erigi quidem per se posset.

1784. Die 10. novembris, etsi externa desquamatio, quæ pellagræ pathognomonicum vulgo creditur signum, deesset, nec unquam adfuisse audirem, eum tamen in hoc accepi Nosocomio, an delitesceret morbus experturus. Et re quidem vera præter dicta, etiam ea, quæ deinde hic observavimus, symptomata aliis sunt communia pellagrosis, ut memoriæ imbecillitas, frequens exspuitio, & ad fletum talis proclivitas, ut ne verbum quidem interroganti respondeat, quin lacrymas effundat.

Mense decembri gossipii pyramidi ad ultimas lumbares vertebras, ubi dolor erat major, appositæ flamma admota est ita, ut cutis ureretur. Quoniam ibi diuturnum ulcus mens erat excitare, suppurationem primum curavi, postea jussi, ut globulo imposito fonticulus ibi efficeretur. Internus dolor hinc evanuit, ceteris tamen persistentibus.

Mense martio fonticulo adhuc aperto crurum dolores orti sunt, & gingivæ tumidæ, & sanguinolentæ evasere. Per dies 30. sumpsit æger decoctum summitatum pini ut in Historia XXIX., sed nullum inde sensit levamen; quin immo sinistra tibia violaceo colore fœdata cum atroci dolore intumuit.

Tibia inungebatur linimento ex nasturtio aquatico, & adipe suilla; sic brevi se se corrugans detumuit, dolor evanuit, & violaceus color in naturalem mutatus est.

Ut aliquid tentarem, præscripsi per dies 24. succ. depur. raphan. rustican. unc. iij., dein mensis spatio aqu. tæd. unc. viij. quovis mane, victu interim oleraceo exhibito. Sed hæc omnia inutilia fuere; mente enim imbecillus lecto fere semper detinetur æger; nutans pedibus insistere vix potest ob inferiorum extremitatum debilitatem; urina eo inscio sæpe prodit; halitus fœtet; gingivæ rubent, & facile sanguinem fundunt.

HISTORIA LIV.

MAgdalena Marciandi oppidi *Busto Arsiccio* ann. 31., quæ artem pannum ex lino, & gossipio texendi exercebat, anno 1780., postquam febri primum continua, dein tertiana intermittenti laborasset, dolores in articulis conqueri cœpit.

1783. Mense majo dorsi manuum cuticula in squamulas primo separata est, accessitque diarrhœa, opisthotonos, delirium.

1784. Manus iterum deturpatæ sunt pellagræ vitio; ægra iterum deliravit, & mense septembri curanda huc fuit translata.

Manus fere nulla desquamationis vestigia gerebant; frons maculis terreis fœdabatur; gingivæ rubebant; fœtebat halitus; sui compos modo ad cachinnos, modo ad fletus invita cogebatur; dolores imi dorsi, & extremitatum conquerebatur, et si lecto residere conaretur, capite versus occiput tracto postrorsum trahebatur. Præter hæc caput molestissimis puncturis hinc illinc afficiebatur;

som-

somnus erat difficilis ; febris aderat erratica , & sapor oris muriaticus ei videbatur horis præsertim matutinis.

Mixtura sequens præscripta tunc fuit per dies 8.

℞. *Aq. flor. til. unc. jv.*
Liq. anod. miner. Hoffm. drach. sem.
Syrup. cort. citr. unc. j.
M.
S. cochleatim absumat in die .

Verum cum febris adhuc matutinis horis potissimum ægram vexaret, sequens substitui medicamentum.

℞. *Extract. chin. chin. unc. sem.*
Solve in aqu. tot. citr. unc. jv., et adde
Liq. anod. miner. Hoffm. drach. sem.
Syrup. cort. aurant. unc. j. ss.
M.
S. cap. cochleatim intra biduum .

Repetitum hoc fuit per dies 15., & febris abiit, sed ægra adhuc agrypniam moleste ferebat, unde quotidie paregoricum haustum hora somni præbebam.

℞. *Aq. flor. rhœad. unc. iij*
Laud. liquid. Sydenham. gut. x.
Syrup. diacod. unc. sem.
M.

Dosis laudani aucta sensim fuit, maxime cum cæteris etiam symptomatibus accomodata viderentur narcotica remedia. Et re quidem vera haustus hujus continuatus usus non agrypniæ modo, verum etiam cephalææ, & involuntariis cachinnis finem imposuit.

Mense novembri adhuc dolores per totum corpus vagantes dorsum præprimis afficiebant : extremitates autem

tem inferiores hinc illinc talibus feriebantur puncturis, ut clonice convellerentur. Serum lactis nasturtio alteratum per dies 20., & decoctum rad. chin. dulc. cum lacte per duas hebdomadas continuatum vix profuisse visa sunt.

Mense januario os quasi sale marino refertum cum ægræ videretur, experire volui, an aqua calcis saltem sensum hujusmodi tolleret. Datæ igitur sunt ei ejusdem unc. vj. mane, & totidem vespere per dies 15.; sapor oris tamen muriaticus perseverabat.

Nil novi evenit usque ad initium aprilis, quo sapore oris salino evanescente totam colli posteriorem partem siccus herpes occupavit; dein anus, & vulvæ labia excoriata sunt cum summo pruritu, & urinæ ardore. Decoctum althææ pro potu primum præscripsi, & malvæ infuso excoriatas partes ablui jussi; verum cum ibi color lividus evaderet, ob gangrænæ metum saturato chinæ chinæ decocto imbuta linteola applicabantur.

Hoc optime cessit, unde pulvis ex amylo, creta, & ros. rubr. sicc. parti inspergendus molestæ excoriationi finem imposuit.

Initio maii salinus sensus oris iterum revivixit, unde statui communem aquam ei præbere ea methodo, quæ Italis dicitur *acqua a passare*, ut in Historia XIX.

Nullo sensibili hinc orto levamine balneo tepido usa est per dies 24., quibus transactis, cum idem superesset oris sapor, iterum aqua calcis in usum revocata est; primum enim ejus experimentum nimis breve alicui videri poterat.

Igitur per mensem integrum quovis mane ei præbui aq. calc. unc. x.. Sapor interim muriaticus modo eva-

evanescere videbatur, modo rursus reviviscebat, unde aquæ calcis effectum determinare non potui.

Mense septembri aqua communis iterum præscripta fuit ut antea; sed adhuc syncipu punturis afficitur; frons maculis fuscis fœdatur; gingivæ plus æquo rubent; sapor oris noctu potissimum similis est muriatico; & ita dolet imum dorsum, ut ægra regularibus catameniis gavisa summam artuum inferiorum debilitatem conqueratur.

HISTORIA LV.

MAgdalena Lovera annor. 45. loci *Lonate Ceppino* (cujus mater jamdiu ab annis 30. mortua est pellagrosa) vere anni 1782. pedum erythemate, & manuum rhagadibus laboravit.

1783. Rubore primum roseo facies suffusa crustis dein tota fœdata fuit.

1784. Manuum, & pedum desquamationi susurrus aurium accessit, vertigo caduca, diplopia, delirium melancholicum, & frequens sinistræ suræ dolorificus crampus.

Sub finem julii huc delata, dum hæc narrabat, optimo habitu, & florido ita donabatur colore, ut sana omnino videretur.

Præmissa parca sanguinis missione haustum sequentem mane, & vespere sumpsit dierum 8. spatio.

℞. *Succ. depur. nast. aq. unc. jv.*
Mell. unc. j.
Ocul. cancr. scrup. j.
M.

Quo-

Quo dum utebatur medicamine, die 15. septembris maculæ sanguineæ irregularis magnitudinis apparuerunt in brachiis, & die 19. plurimum experta levamen e Nosocomio discessit.

Mediocriter se gessit usque ad ver subsequentis anni 1785., quo sensim ægra in pejus ruit; æstate deliravit, & augusto declinante huc iterum se contulit, molestum cerebri susurrum, & cophosin conquerens.

Vesicantia pone aures effecerunt, ut cerebri susurrus, & cophosis mirum in modum minuerentur.

HISTORIA LVI.

ANtonio Barbaglia loci *Ossona* ann. 43., postquam ineunte vere anni 1780. dorsi manuum epidermis in squamas abiisset, caput solaribus expositum radiis hinc illinc lancinantibus doloribus feriebatur.

1781. Æstate adulta rursus manus, & pedes rubuere non sine furfurea desquamatione, cui accessit diarrhœa cum oris, & faucium ardore.

Mense novembri cum forte solis orientis radiis nudo capite per minutum se se exposuisset, tot tantisque pungi sibi sensit acubus cerebrum, ut stupidus in terram præceps procubuerit.

1782. Etsi extus plurima fuerit manuum desquamatio, intus tamen vix ullum incommodum expertus est.

1783. Levi redeunte manuum vitio, ob cephalæam fere continuam magnum Mediolani Nosocomium petiit, ubi quotidianum balneum præscriptum est, & vesicans emplastrum deraso capiti applicitum.

Hye-

Hyeme subsequenti flammæ sensus huc illuc discurrens pedes præsertim afficiebat; quin immo Natalitiis Festis languentes solis radii rursus manus erysipelatosas ei reddidere.

1784. Quamquam galero caput, manus autem chirothecis a sole defenderet, pellagrosa tamen desquamatio spatium illud, quod chirothecas inter, & subuculam intercedebat, primum corripiens in viciniam etiam se se propagavit, obortis vertigine, tensione ad posteriora, bulimia, aurium susurru.

Die 28. julii ejusdem anni huc ingressus est, & hæc mihi præbuit notanda.

Caput doloribus vagis lancinantibus maxime circa occiput afficiebatur; cephalæa latus cerebri sinistrum vexabat; puncturis quoque dolorificis totum feriebatur corpus, maxime sinistrum brachium, quod inde aliquando adeo convellebatur, ut quidquid eo teneret longe projiceret.

Balneum tepidum ingressus est per dies 18; dein præmisso cathartico ex manna, & sale anglico decoctum e lignis sudoriferis sumpsit per dies 16.; tandem cum pulsus pleni viderentur, hirudines hæmorrhoidibus applicari jussi, & apparentis sanitatis potitus hinc discessit die 15. septembris.

Medioeri valetudine usus est tota hieme; verum postquam primo vere anni 1785. rursus solita desquamatio apparuisset, æger ruit in pejus, & die 15. julii huc iterum rediit.

Diarrhœa a multo tempore laboranti artus inferiores œdematosa intumescentia ei turgebant; brachia autem maculis irregularibus hinc illinc livebant.

Die 17. mane præscripsi pulverem ex rhei fcrup. ij., & myrobalanor. fcrup. j.; vespere autem diasc. Fracast. drach. j. in aq. menth. unc. iij. exhibui.

Die 19., cum eadem pulvis, idemque haustus repeteretur, diarrhœa paullulum se remisit.

Die 30. alvi fluxu omnino cohibito, supervenit delirium, quod toto augusto mense perduravit. Pulsus interim erant adeo exiles, ut vita morti proxima videretur, & æger clamans insomnes noctes transigebat.

Ut a cerebro materiem morbificam illuc translatam revellerem, quin alvi fluxus, utpote pellagrosis ut plurimum lethalis, renovaretur, cucurbitula primum in occipite scarificari jussi, dein setacei ope ibi ulcus apertum detineri.

Ineunte septembri alvi iterum reviviscente profluvio delirium evanuit; sed parce fluentibus urinis pedes primum, & crura, dein totum corpus, abdomen præprimis, intumuere. Vinum absinthio, & scilla medicatum adhuc nil profuit.

HISTORIA LVII.

CArolus Quajotti loci *Geranzano* ann. 52. temperamento plethorico, & habitu corporis optimo donatus (cujus frater pellagra laborat) levem desquamationem in suris ab annis quatuor æstivo tempore patiebatur.

1784. Etsi externo vitio vertigo, & cerebri susurrus quasi cicadæ cantus accessisset, strenue tamen rusticis laboribus incumbebat.

Die

Die 28. octobris inopinato cœpit delirare, & die 2. novembris in hoc fertur Nosocomium.

Die 3. leviter æger delirat; cephalalgiam, & cerebri molestissimum susurrum conqueritur: cucurbitulæ nuchæ, & dorso scarificantur.

Die 6. pulsus fiunt celeres, & pleni; facies rubet; rubent oculi, unde secatur vena brachii. Sudor fœtidus ubertim erumpit.

Die 7. delirium fit furiosum, & frequens accedit exspuitio.

Die 8. æger mane invenitur sui omnino compos, gena dextera maculis sanguineis puncticularibus referta.

Initio decembris sanus abiit.

Bene habuit tota hyeme. Vere subsequenti anni 1785. renovata est manuum, & pedum desquamatio, & initio septembris cœpit iterum delirare, unde Nosocomium repetiit.

Modo attonitus nil respondebat; modo contenta voce clamabat; febris aderat erratica; pulsus erant duriusculi.

Delirium hebdomadæ spatio duravit, qua transacta æger optime internos sensus recuperavit, superstite dolore sinistram frontis partem occupante, & auris ejusdem lateris susurru.

Dixi hujus ægri fratrem pellagra laborare: addendum nunc est, plurimam adesse quoque de filiis ejus suspicionem. Unus enim annorum circiter 24. lichenibus herpeticis in brachiis fœdatur; altera annum agens vigesimum xerophthalmia pertinaci laborat, & oris labia sæpe ei arescunt, & finduntur. An igitur suspicandum est de morbi hæreditate?

HISTORIA LVIII.

Theresia Prandoni loci *S. Giorgio* annor. 29. temperamento prædita phlegmatico, bonoque victu enutrita quavis æstate a sole remota sericum e bombycum folliculis conficere consueverat.

Anno tamen 1781. dum lacte proprio filium aleret, manus, & pedes desquamatione, & rhagadibus deturpari cœperunt.

1783. Præter externi vitii renovationem adfuerunt scelotyrbe festinans, & diarrhœa.

1784. Quanquam chirothecis manus a sole defenderet, leve tamen erythema in parvo, quod inter subuculam, & chirothecas intercedebat, spatio primum apparens viciniam etiam sensim occupavit.

Sub finem julii huc ingrediens dictis addidit, se continuo nares veluti occlusas, serosumque humorem exstillantes habere cum levi oculorum lacrymatione; os, & fauces aphthis excoriari; saporem oris similem esse muriatico; superiores extremitates doloribus vexari, & pluries vi quadam antrorsum trahi, maxime si loco humido insideret.

Repetitæ rhabarbari doses cum vespertinis paregoricis emulsis diarrhœæ finem imposuere; e balneis vero tepidis melius non habuit.

Die 13. septembris cœpi ei dare saturatissimum ex salsaparilla decoctum.

Die 20. miliares prurientes papulæ per totum corpus eruperunt.

Die

Die 21. maculæ sanguineæ instar pulicum morsus confertim in brachiis apparuerunt.

Die 10. octobris aliquod experta levamen ad lares rediit, menstruis etiam erumpentibus ab annis duobus suppressis.

Mense augusto subsequentis anni 1785. ad me rursus ægra venit, narrans iterum in morbum recidisse absque ulla externa desquamatione.

Balnea nil profuerunt, neque sensibile levamen ortum est a decocto ligni sassafras quovis mane cum lacte exhibito; quod dicendum est etiam de vesicatoriis pone aures applicitis. Adhuc enim imum dolet dorsum; frons gravativo dolore afficitur; e naribus, ac oculis limpidus, & acer humor exstillat, unde frequens sternutatio, & xerophthalmia.

HISTORIA LIX.

Hieronyma Calletti oppidi *Somma* ann. circiter 30. a paucis huc ingressa diebus phænomenon exhibet adeo observatu dignum, ut nunc referri mereatur, integra Historia alias translata. Hæc a duobus annis manuum passa desquamationem refert, se facile per totum corpus sudore madere præter sinistrum capitis latus, quod dolore gravativo affectum nunquam sudorem emittit.

Præcipuæ hæ sunt pellagra laborantium Historiæ, quas in hoc mihi commisso Nosocomio hucusque collegi; ad eos nunc transeo, quos extra Nosocomium observavi pellagrosos, quorum hisce in regionibus infinitus est numerus.

Prete bevitore guarito abbandono del vino uso del siero utilissimo

HISTORIA LX.

Vir ann. 42. optimo natus genere, & Ecclesiastico præditus officio vino præsertim albo abutebatur, voluptatibus etiam plus æquo deditus.

1782. Postquam tota æstate urenti ardore in planta pedum ita cruciatus fuisset, ut pluries in die aqua frigida pedes abluere ei fas esset, mense septembri dum lætus deambulabat, inopinato ab interna quadam vi currere coactus fuit.

Idem accidit mense octobri; hyeme autem extremitatum inferiorum debilitatem conquerebatur.

1783. Mense martio iterum scelotyrbes festinantis paroxysmum passus per plures horas pedibus insistere non potuit.

Reliquum erat, ut extus etiam se proderet morbus, quod evenit mense majo dorsi manuum epidermide in leves squamulas abeunte, & accedentibus virium prostratione, mentis confusione, ac doloribus brachiorum; quæ omnia autumnali non modo, verum etiam hyemali tempore perdurarunt,

1784. Vere adventante dorsum manuum ita evidenter deturpatum est, ut de pellagræ morbo nullum amplius superesset dubium, unde ad me consulendum venit.

Primum jussi, ut vino, quo jampridem abusus fuerat, valediceret, dein serum lactis intus, & extus commendavi; qua utens methodo ad menses duos ita convaluit, ut spretis consiliis vetus vivendi genus amplecteretur.

1785.

1785. Mense majo in manuum dorso epidermis iterum leviter separata est, morbo tamen minime ingravescente; quin imo bono præditus colore optima adhuc valetudine frui gloriatur.

Quædam vero supersunt, quæ plurimum præbent indicium morbi latentis, uti sunt herpes in cubiti junctura, obtusus dolor in brachiis, oculorum lacrymatio, narium occlusio.

HISTORIA LXI.

Joseph Zaffaroni oppidi *Legnano* ann. 35. temperamento sanguineo, & forti habitu donatus a quatuor annis quavis æstate hæc patitur.

Tristis, obliviosus, & sæpe nesciens quid agat, hominum frequentiam aversatur; aures tinniunt; sensus flammæ caput occupat; visus est ei adeo confusus, ut objecto sæpe geminato apparente legere non amplius valeat; nares ferit odor quasi chartæ combustæ; saliva ubertim effluens saporem excitat salis; urina mingitur cum ardore; manus coacte tremunt, subsiliuntque.

Hæc æger experiri narrabat, cum mense julio anni 1784. a me peteret consilium. Tunc statim suspicatus sum de pellagræ morbo, unde externas corporis partes cœpi examinare. Os, & labia pallebant quasi ab aceto; manuum dorsum nullo afficiebatur, nec affectum unquam fuerat vitio; tibiæ vero solis radiis expositæ paullulum cum ardoris sensu rubebant, manuumque volas, & pedum plantas semper sudore pruritum acerrimum excitante lotas referebat.

Quo-

Quoniam allata symptomata pellagræ morbo sunt propria, & tamen hujusmodi æger nullam unquam cuticulæ desquamationem tulerat, cœpi mecum dubitare, an dari posset pellagra delitescens; de quo postea certiorem me fecerunt sequentes Historiæ.

HISTORIA LXII.

Intermittente indi diarrea paresi inf.e precipite lent. vertiginosa confuso per diarrea

AMbrosius Bollini oppidi *Legnano* annum agens sexagesimum autumno anni 1783. febri intermittente pertinaciter laboravit.

Adventante vere 1784. diarrhœa, & summa artuum inferiorum debilitate primum correptus fuit; dein pluries vertiginosus antrorsum humi trahebatur, maxime dum soli expositus rusticis incumbebat laboribus; quin immo amnesia accessit, & mentis confusio. Hæc mihi narrabat æger ipse mense julio 1784.

Accepi postea, virum hunc pluries delirasse, tandemque diarrhœa consumptum mense septembri 1785. occubuisse, quin unquam extus aliquod cutis vitium apparuerit.

HISTORIA LXIII.

STephanus Cola loci *Nerviano* ann. circiter 40. mense augusto anni 1784. ad me venit referens, tibias ei dolere, & caput dolorificis puncturis sæpe molestatum continuo susurru affici cicadæ cantum æmulante.

Externam corporis superficiem contemplanti mihi se se obtulerunt oris labia pallida, arida, & scissa.

Nulla

Nulla aderat manuum desquamatio, nec ullam unquam adfuisse narrabat.

HISTORIA LXIV.

STephanus Ferrajolo loci *Castellanza* ann. 24. (cujus pater pellagra confirmata laborat) vere ineunte anni 1784. pertinaci correptus est diarrhœa, & erratica laboravit febricula.

1785. Mense aprili alvi fluxus, & febris erraticum servans typum in scenam iterum prodiit, accedentibus dolore spinæ dorsi, extremitatum inferiorum debilitate, gingivarum rubore, & intolerabili plantæ pedum ardore.

An patris morbus latet in filio?

HISTORIA LXV.

VIrgo oppidi *Busto* ann. 30. una ex iis, quæ domi propriæ degentes virginitatem vovent, vulgo *Orsoline*, nullam aliam artem quam suendi, ac lintea lævigandi habere consueverat.

1781. Postquam acuta febri laborasset, cœpit doloribus affici per totum corpus vagantibus, quibus sensim se se adjunxere continuus sensus flammæ in syncipite, vertigo caduca, & ardor plantæ pedum noctu potissimum molestus, qui tunc solum minuitur, cum spontaneo sudore pedes madent, cæteris etiam imminutis doloribus.

An morbus hujusmodi pellagræ nomine insigniri potest, etsi nil extus unquam apparuerit ejusdem signum?

Che le pellagrose desquamavano? Sia accidentale lo provano i seguenti esempli

HISTORIA LXVI.

ALtera ex earumdem Virginum numero annos nata 50. loci *Verghera* bono victus genere enutrita a pluribus annis cephalæa laborare cœperat cum assidua narium occlusione, & oculorum lacrymatione.

Progressu autem temporis accessere dolores dexterum corporis latus cruciantes, visus hebetudo, obtusus dolor in vertebris dorsi, furfuracea epidermidis separatio in capillata capitis parte, & plantæ pedum intolerabilis ardor.

Etsi hæc omnia pellagræ sint propria, ægra tamen nil extus ei apparuisse refert, si cuticulæ colli levissima separatio excipiatur, quam semel experta est, cum hortum a noxiis herbis expurgando intenta inflexo capite per horam soli se se exposuisset.

HISTORIA LXVII.

EX eodem consortio Virgo altera oppidi *Busto* ann. 38. gracili prædita temperamento a multis annis cœperat oris aphthis molestari, accedentibus sensim cephalæa, nimia gingivarum rubedine, lumbarium vertebrarum dolore, summa inferiorum artuum debilitate, & interno plantæ pedum ardore.

Hæc mihi narrabat mense augusto 1785., addendo humorem aqueum saporem salis excitantem ex ore sibi dormienti sæpe prodire.

An hæc quoque pellagra delitescente laborat? Nullo certe vitio fœdata unquam fuit corporis ejus superficies.

HIS-

HISTORIA LXVIII.

MUlier Sartoris oppidi *Legnano* ann. 30., quæ etsi regularibus menstruis semper fuerat gavisa, nunquam tamen concepit, nuperrime ad me venit cephalæam conquerens, syncipitis calorem, dolorem imi dorsi ad abdomen se se propagantem, & plantæ pedum urentem ardorem, qui minui tunc solet, cum sponte ibi sudor oboritur.

Præter papulas miliares, quæ sæpe per totum corpus erumpere solent, nil aliud ei extus apparuit.

HISTORIA LXIX.

MUlier Molitoris loci *Castellanza* optimo victu enutrita ann. 28. mense julio anni 1785. post quatuor a partu dies, cum intecto capite prope flumen aliquantulum stetisset, cœpit experiri sensum ardoris in sincipite, cui accessit auris sinistræ susurrus, tristitia, & mentis confusio.

Mense augusto dolor primum in occipite sæviens ad os usque sacrum se se propagavit, summam inferens inferiorum artuum debilitatem.

Mense novembri, cum iterum ad me se contulisset, etsi florido colore, optimoque corporis habitu prædita esset, tristis tamen referebat præter imi dorsi dolorem totum sinistrum capitis latus ardore, & lancinationibus torqueri.

An morbus hicce simplex hysterica affectio est appellanda? An pellagra delitescens? Antihysterica nullum attulere levamen.

Hæ referendæ erant Historiæ, ut constaret dari ægros, qui plura pellagræ ipsius symptomata conqueruntur absque ulla manuum, pedumque desquamatione; nunc ad alias, quæ lucem afferre valent, transeamus.

HISTORIA LXX.

ALoysia Gomova oppidi *Legnano* nonum tantum ætatis annum agens manuum dorsum jam gerit pellagrosa fœdum desquamatione; quin immo trimatum adhuc agebat, dum id cœperat pati. Ejus pater etsi bene valeat, manus ei tamen absque manifesta causa rhagadibus finduntur.

Rimarchevole complicaz. della rachitide più volte osservata ragazzi 5 anni

HISTORIA LXXI.

MAria Barbaglia *loci Ossona* quinque annos nunc nata ab incunabilis rachitica erat cum abdominis intumescentia, protuberantia epiphysium, difficili dentitione, tibiisque extrorsum curvatis.

Annum cum ageret ætatis secundum, cœpit ei dorsi manuum cuticula in squamas separari, idque repetitum est subsequentibus annis.

Similem complicationem pellagræ cum rachitide alias vidi.

HIS-

HISTORIA LXXII.

GAspar Ferrari loci *Villacortese*, cujus mater mortua est pellagrosa, vix octavum ætatis nunc annum attingit; attamen præter manuum, pedumque desquamationem quovis vere recurrentem etiam oris dolorificum ardorem, bulimiam, diarrhœam conqueritur; quin immo plura præbens amentiæ signa sæpe vertigine, & extremitatum inferiorum tremore correptus humi concidit.

HISTORIA LXXIII.

EXemplum quoque pellagræ morbi in puerili ætate præbet Francisca Guida oppidi *Busto*, cujus mater obiit pellagrosa. Hæc anno 1780. cum quartum tantum ætatis suæ ageret, cœpit caduca laborare vertigine, ita ut sæpe absque manifesta caussa corrueret.

1784. Vernali tempore dorsum manuum epidermide spoliatum est cum summa artuum imbecillitate, sensuumque internorum non levi confusione.

HISTORIA LXXIV.

ETsi Julius Panegini loci *Rescaldina* menses octodecim natus fasciis adhuc obvolutus detineretur, de more tantum brachiolis aliquando extractis; ejus tamen maniculárum dorsum epidermide spoliari mirata est mater.

Pos-

Posthac puer robustus crevit, & nil amplius passus est usque ad annum 1785. ætatis suæ octavum, quo rursus manuum cuticula in squamulas abiit, & caput porriginosa tinea fœdatum est.

HISTORIA LXXV.

PHarmacopola loci *Cislago* ann. circiter 50. optimo temperamento præditus plus æquo vino indulgere consueverat.

Anno 1769. ineunte vere cœpit ei dorsum manuum rubere, & epidermide spoliari; æstate autem per horas 24. deliravit.

Subsequentibus annis præter renovationem dictæ desquamationis pluries invitus currere coactus fuit, pluriesque nutans humi cecidit.

1781. Præter dicta melancholicus ad dies 15. deliravit.

Posthac ipse ait se nihil amplius passum esse, neque manuum vitium amplius apparuisse; labiorum tamen oris quidam pallor morbosum quid adhuc latere significat.

HISTORIA LXXVI.

PUella ann. 24. bono victu nutrita oppidi *Legnano* anno 1784. febri laboravit acuta, & subsequenti vere levem manuum desquamationem passa est cum acuto ver-

vertebrarum lumbarium dolore. Nunc optimo habitu, optimoque donatur colore; superest tamen obtusus quidam dolor in sinistro pectoris latere inspiratione potissimum sæviens.

HISTORIA LXXVII.


Joannes Ghilini ann. 33. ex Apuanis Montibus quovis autumno ad nos veniens in assulas ligna discindere a pueritia consuevit, ad patriam iterum vere reversurus.

1785. Mense junio, postquam diuturna laborasset diarrhœa, cœpit molestissimo cruciari pedum ardore noctu præsertim, quin tamen aliquid extus appareret.

Mense autem februario dorsi manuum cuticula nigricans in squamas separata est, idemque collo collaris instar evenit.

Interroganti, utrum in sua Patria (*Propato*) pellagræ morbus nosceretur, mihi respondit, nullum hujusmodi morbo laborantem ibi vidisse præter tres socios, qui, ut ipse, hiemem hisce in regionibus ducere solebant.

Notandum, gentem hanc, vulgo *Schiappini*, vesci sola polenta, caseo, & vino.



PARS ALTERA.

Sufficienti particularium observationum copia collecta ad alterum observatoris munus est properandum, a particularibus scilicet universalia deducenda sunt.



ARTICULUS I.

Pellagræ symptomata, sive generalis morbi historia.

§. 1.



UT ea, quæ sparsim in particularibus Historiis annotaveram, in unum ordinatim colligerem symptomata, sicque generalem Pellagræ morbi historiam efformarem, optima mihi visa est Sauvagesiana methodus; morbi enim descriptio juxta diversos ejus status pluribus obnoxia est difficultatibus, cum neque dentur symptomata unicuique statui propria, neque semper eodem ordine procedat hujusmodi morbus, ut inferius videbimus.

§. 2. Externa, quibus pellagrosorum cutis fœdatur, vitia describenti mihi primum occurrit spontanea illa, quæ manuum dorsum potissimum adoritur, epidermidis in squamulas avulsio. Hæc non semper eadem forma apparet; alii enim ardore quodam urente primum corripiuntur, cui dein roseus rubor, & furfuracea epidermidis separatio accedunt; aliis præter dicta in amplas phlyctænas sero flavescenti turgidas, quasi ambustio præcesserit, cuticula attollitur; sunt plurimi tandem, queis sensim separatur epidermis nigricans, & exsiccata, quin ardor accidat, aut rubor. Varietates hujusmodi, quarum prima dici potest erysipelas simplex, altera erysipelas phlyctænosum, tertia simplex desquamatio, quoniam forte a a caussis omnino extrinsecis pendent, nullam morbo diversitatem inducunt, ideoque parum in praxi attendendæ videntur. Et quidem, quomodocumque fiat allata desquamatio, ægri semper eamdem internorum symptomatum syndromen conqueruntur; neque ea, quæ narrant illi, quorum desquamatio erysipelatosam naturam affectat, ab iis differunt, quæ ii patiuntur, qui simplicem ferunt desquamationem. Quin imo sæpe evenit, ut æger idem quodam anno erysipelate corripiatur, altero simplici desquamatione afficiatur, nulla tamen ipsius morbi differentia oborta.

Desquamatio

§. 3. Dixi pellagra laborantibus manuum dorsum potissimum desquamari; sciendum tamen est, plures alias corporis partes eodem affici posse vitio, dummodo nudatæ aeri exponantur: hinc sæpe accidit, ut agricolis, qui dum

agres-

agrestibus incumbunt laboribus, soluto indusii collari, inversis manicis, & calceis detractis procedunt, collum, jugulum, sternum, brachia, pedum dorsum, & tibiæ hujusmodi quoque corripiantur desquamatione. Facies una, etsi præ ceteris aeris, & solis obnoxia sit actioni, plerumque tamen immunis a pellagrosa fœditate servatur; nasi enim apice, qui aliquando cuticula exspoliatur, & oris labiis, quæ sæpe arescunt, & excoriantur, exceptis, vultus cæterum illæsus manet. An igitur solis actio ad hanc cutis affectionem plurimum confert? Id erit investigandum, ubi de caussis agetur. Hic interim sufficit annotare, nonnisi partes denudatas eadem affici, & vitam omnino umbratilem ad eam evitandam sufficere; dixi *omnino*, cum aerem nimium solaribus radiis etiam indirectis turgidum satis esse, pluries me docuerit experientia.

§. 4. Cutis hæc deturpatio primo vere erumpit; æstate minuitur; autumno vix ejus supersunt vestigia; hyeme autem ingruente ita sæpe evanescit, ut sanitati omnino restituti ægri videantur iis, qui corporis superficiem contemplantes cetera negligunt: verum gelida tempestate declinante iterum rediviva prorumpit. Talis est communis pellagrosæ desquamationis vicissitudo, quæ tamen ita constans non est, ut aliquando immutari non possit: vidi enim pellagrosos, quibus autumno renovata est desquamatio, nec defuere qui eam passi sunt hieme adulta (Historia LVI.).

§. 5. Hinc patet desquamationem non esse individuum pellagræ morbi symptoma, morbus enim totius anni decursu, præcipue quando invaluit, perdurat: desquamatio

contra modo erumpit, modo evanescit. Morbus insuper utpote a peculiari humorum pendens dyscrasia vita umbratili non tollitur; desquamatio imminui, tolli, evitari ab ægro potest, dummodo vim solis, aeremque solaribus radiis præfulgentem effugiat.

§. 6. An saltem tamquam pathognomonicum pellagræ signum vernalis hæc desquamatio ita est habenda, ut nonnisi ii, qui soli expositi hac fœdantur, pellagrosi vocari debeant? Etsi omnes, qui vitium hoc ferunt, jure meritoque dici possint pellagrosi, cum serius ocyus cætera huic accedere soleant symptomata; attamen non inde deduci potest, pellagrosos minime dari posse, quin huic sint obnoxii. Multos enim novi, qui plura pellagræ symptomata jampridem conqueri cœperant, antequam cutis hujusmodi affectio apparuisset (Historia XIII. XXIX. LX). Quin imo morbum ipsum invaluisse vidi, quin unquam extus ulla apparuerit desquamatio. An igitur pellagra dividenda est in manifestam, & delitescentem? An jure pellagrosus ille etiam dici potest, qui cætera pellagræ conquerens symptomata, nullam unquam tamen passus est desquamationem? Id quidem fatendum est, si pellagræ nomine non externa ipsa desquamatio, sed eorum omnium, quæ in hac observantur ægritudine, syndromes intelligatur. Videantur quæso, quas consulto retuli, Historiæ LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. Si Joseph Zaffaroni (Historia LXI.) excipiatur, cui tibiæ solis radiis expositæ cum ardoris sensu nonnihil rubebant, & Virgo (Historia LXVI.), cui semel posterioris colli partis cuticula separata est, cæteris nulla unquam apparuit de-

squa-

squamatio, etsi omnia; quæ ibi enarrantur symptomata, adeo sint iis similia, quæ ægri desquamationem passi conqueruntur, ut ovum ovo quidem similius non sit. Si igitur symptomatum congeries æqualis est, cur eodem nomine appellari nequeunt ægrotantes? Symptomatum certe similitudo naturæ etiam morbi similitudinem arguit.

§. 7. Restat nunc examinandum an desquamationi cætera correspondeant morbi symptomata, ita ut quo major ea sit, eo magis periclitetur æger. Si experientiam, e qua nunquam pro instituti ratione discedendum est, consulimus, in contrariam adducimur opinionem. Plures enimi vidi, qui leviter quoad cetera ægrotabant, etiamsi manus, pedes, aliasque corporis partes aeri expositas desquamatione horridas gererent; & alios contra cum levissima cuticulæ separatione ad desperatum morbi gradum pervenisse observavi. Quin imo sæpe accidit, ut idem æger anno fere nullum salutis experiatur detrimentum, etsi maxima sit desquamatio, altero contra pessima valetudine utatur, vix ullo apparente ejus vestigio. Hisce autem addendum est, externum hujusmodi vitium sæpe vel simplici lotione minui, vel omnimode vita umbratili deleri, quin intus tamen ullum experiantur ægri levamen, morbo contra in pejus non raro ruente. Hoc expertus sum in iis, qui vere in hoc excipiuntur Nosocomio. Etenim etsi sæpe ita desquamatione fœdi ingrediantur, ut omnium moveant miserationem, attamen post paucos ab ingressu dies omne cutis vitium per se evanescit absque ullo interni morbi levamine. Ergo morbi intensitas non est ab ipsa desquamatione metienda.

Adhuc

Adhuc de pellagrosis supervenientе desquamatione ; nunc breviter de cæteris, quibus ii obnoxii sunt, cutis vitiis.

Ephelis. §. 8. Maculæ umbrinæ fuscentes, & luridæ non semel tantum observatæ sunt frontem pellagra affectorum occupare (Cadav. XII., Historia VII. XXXV. XLV. LIV.) Hæ autem neque solis radiis tribuendæ videntur, cum eas erumpere viderim in iis, qui a pluribus mensibus in Nosocomio degebant umbratili vita fruentes; neque catameniorum suppressioni, cum vir, & fœminæ optime menstruatæ iis fuerint deturpatæ.

Ecchymoma §. 9. Verum præ ceteris attentionem merentur spontaneæ illæ maculæ, quæ a sanguine sub cute effuso ortæ magnitudine sæpe irregulari, & colore ut plurimum purpureo, aliquando atro, ac livido donantur, prodeuntque potissimum in dorso manuum, posteriori cubiti parte, & facie ipsa. An critice, aut symptomatice? Utroque modo vidimus eas erupisse, sive morbus initiatus esset, sive confirmatus. (Cadav. V. XIII. XVI., & Historia IV. VII. X. XII. XIII. XX. XXXI. LV. LVI. LVII. LVIII.

Papulæ, & Herpes. §. 10. Papulæ miliares prurientes non raro confertim per totum corpus eruptæ in furfures abiere. (Hist. VII. XXVI. XXVII. LII. LVIII.) Herpes aliquando collum, & brachia deturpavit, (Hist. LIV. LX.) & capillata capitis pars non una vice visa est porrigine affici. (Hist. XXVIII. LXXIV.)

Color. §. 11. Color oris labiorum a nativo ut plurimum in eo differt, quod ex pallido in fuscum vergant, quasi acetum urens ægri gustassent. (Cadav. V., Hist. V. VI. X. XVII. XXXIV. XXXV.) Cæterum universi corporis

color

color ita naturalis servatur, ut sæpe floridus fuerit in statu etiam confirmato. (Hist. VI. VIII. XLI. XLV. XLVIII. LV.)

Febres.

§. 12. Quacumque febrium specie pellagrosos corripi posse non est dubitandum; hujusmodi enim ægrotantes a cæteris morbis, quibus obnoxia est hominis natura, minime servantur. Verum quoniam febres hujusmodi pellagræ morbum non constituunt, sed ei accidentaliter superveniunt, inter supervenientia erunt enumerandæ, ideoque a morbi symptomatibus ablegandæ.

§. 13. At hisce posthabitis nonnullas febres observavi, quæ jure meritoque inter pellagræ ipsius symptomata enumerari possunt. Prima ea est, quæ ab aliquo pellagræ symptomate proficiscitur, ut amphimerina, quæ phthisim, & ea, quæ delirium comitatur, anomala febris. Altera forte a morbi caussa propius pendens est febricula quædam erratice exacerbans, quæ pellagrosos absque manifesta caussa adoritur. In hac pulsus sunt celeres, & duriusculi; calor corporis acer percipitur, & tenuis sudor peculiaris odoris toto corpore manat absque ullo levamine. An febris ista naturam hecticæ, vel colliquativæ possidet? Chronicarum more ea quidem procedit, & maciem inducit.

§. 14. Quoniam de pulsibus facta est mentio, notandum est, morbi hujus decursu eos ut plurimum esse parvos, & debiles etiam in iis, qui athletico habitu, & plethorica donantur temperie. Quin immo aliquando eos inveni ita tardos, & raros, ut intra minutum vix trigesies pulsarent. Pulsus.

Phleg-

§. 15. Cerebellum leviter inflammatum (Cadav. II.), vasa piæ meningis turgida (Cadav. III.), sanguifera vasa meningum distenta (Cadav. V.), vasa cerebri nimio sanguine plena (Cadav. XI.), meninges inflammatas (Cadav. XVI.) jam annotavimus. An igitur in acuto, quo pellagrosi corripiuntur, delirio peculiaris quædam cerebri inflammatio adest? Plurimi certe adsunt probabilitatis gradus.

§. 16. Confirmatis phthisicis vel a nova tuberculorum inflammatione, vel ab acri puris indole totam pulmonum substantiam inflammari posse observavit Mortonus. Peripneumoniæ hujusmodi exempla videntur in Cadav. V. XIII.

Peripneumonia.

§. 17. Non raro ardore stipata emittitur urina a pellagrosis; signa tamen inflammationis vesicæ in viro tantum adfuerunt (Cadav. XVI.). Ardor, & ischuria morti præcesserant; secto autem cadavere vesicæ cervix phlogosi correpta apparuit.

Cystitis.

Spasmi.

§. 18. Convulsiva symptomata sunt omnium frequentissima in hujusmodi ægritudine. Ex his altera mortem appropinquantem denotant in delirantibus, ut dentium stridor, spasmus cynicus, nystagmus, carphologia, scelotyrbe instabilis. Altera autem sæpe initio morbi apparent, & toto ipsius decursu perdurant ita, ut unum ex præcipuis pellagræ characteribus constituere videantur.

§. 19.

§. 19. Inter hæc crampus primum obtinet locum; musculos enim pedis, suræ, & manus cum atroci dolore contrahi, ac rigescere (Hist. II. III. VIII. XXVII. XXVIII. LV.) passim in hoc morbo observavi: quod spasmi genus adeo vehemens aliquando fuit, ut epilepsiam (Hist. VIII.), spasmodicam contracturam, cardialgiam, & syncopen (Hist. V.) inde viderim oriri. Crampus.

§. 20. Neque infrequens est alterum hujus classis symptoma, quod tetanus dicetur, etsi plurimum ab eo differat, cujus apud Auctores extat descriptio. Dum ægri vel in lectulo comedentes sedent, vel progredi conantur, sæpe evenit, ut tensæ chordæ sensum experti modo antrorsum, modo ad latera, postrorsum modo inviti trahantur; hinc jure tetanus opisthotonicus, emprosthotonicus, pleurothotonicus, sive lateralis dici potest, etsi levis ut plurimum sit, & brevi evanescens. In omnibus fere Historiis hujus adsunt exempla. Tetanus.

§. 21. Quod bis vidit Sauvagesius, sæpe in pellagrosis observavi; ægri scilicet aliquando corpore anterius inclinato currere coguntur, donec vel aliquid offendant, cui adhæreant, vel humi concidant, nisi ab adstantibus sustineantur (Cadav. III. XI., Hist. I. XIX. XXXIX. XLI. LX. LXXV.). Paroxysmo hujusmodi, qui ad pauca minuta protrahitur, absoluto, summam artuum inferiorum debilitatem ut plurimum ægri conqueri solent. Scelotyrbe festinans.

§. 22. Artus inferiores pluries quoque vidi clonice agitari (Hist. III. XXIII. XXIX. L. LII. Abdominis musculi ita subsiliebant in fœmina (Hist. LII.), ut manus ipsa agitaretur imposita. Brachium ita extrorsum vibrabatur in viro (Hist. LVI.), ut quidquid teneret, abjiceret. Convulsio.

Tremor. §. 23. Artuum tremor a debilitate passim in pellagrosis occurrit, neque rarus est ille, qui convulsivus dicitur, aut coactus (Hist. VIII. XXIV. XLVII. XLIX.). Primus artu sustentato cessat; in altero sustentatæ partes adhuc subsiliunt. Tremor autem capitis, & trunci continuus, qualis in lepra Asturiensi observatus fuit a Thyery, nunquam mihi contigit observari.

§. 24. Huic classi spectat trismus ille dolorificus, quo Joannes Vimercati (Cadav. V.) laborabat, ac involuntarius labiorum instar hominis quid sapidum gustantis motus, quem in Hist. XIV., & XVIII. observavimus. Hoc spasmi genus, quod in aliis pellagrosis extra Nosocomium vidi, non in delirantibus modo, verum in iis etiam, qui animi pollent facultatibus, contingit.

Anhelationes.

Tussis. §. 25. Tussis, qua facile corripiuntur pellagra laborantes, idiopathica semper mihi visa est, a caussa nempe intra thoracem latente (Cadav. VIII., Hist. IX. XIII. XIV. XXX.). Sive sicca ea sit, sive humida, sive pulmonalis, sive gutturalis semper hoc habet commune, ut sensum inferat erosionis, & salis sapore stipetur, unde asserere non vereor, hanc a morbi caussa proxima immediate pendere. Sensim incipit absque manifesta caussa, coctionem non admittit, chronice procedit, facile transit in phthisim. De hydrothorace, empyemate, aliisque huc spectantibus in pellagrosis aliquando observatis symptomatibus, quoniam nonnisi morbi sequelæ sunt, non est cur longius disseramus.

De-

§. 26. Debilitas in pellagra vel tanquam toto corpori universalis considerari potest, vel tanquam peculiarem partem afficiens. Ad primum spectat asthenia, sive summa quædam lassitudo, quam fere omnes pellagrosi experiuntur. Hic autem non intelligo virium eam prostrationem, quæ inediam sequitur, febres, phthisim, aut nimias quascumque evacuationes, sed illam, quæ sponte absque manifesta caussa pellagrosis supervenit etiam in morbi principio. Etsi enim torosi videantur, optimoque præditi colore, sæpe talem virium languorem conqueruntur, ut laboribus inepti, pigri, tardi, tremuli, graves ad sensum evadant. Asthenia.

§. 27. Partialis debilitas artus ut plurimum respicit inferiores; passim enim occurrit pellagrosos videre ægre pedibus insistere, crura difficulter trahere, & singulis passibus nutantes huc illuc inclinare præ summa debilitate, quam circa imum dorsum referunt experiri. Quin immo non raro evenit, ut omnino impotes lecto affigantur, ibique ne ~~residere~~ quidem valeant, nisi a custodibus sustineantur. Paraplegia.

§. 28. Huc etiam spectat alia progrediendi difficultas, qua sæpe hujusmodi ægrotantes afficiuntur. Hæc autem non a paresi partium, sed a tendinum rigiditate pendere videtur; crura enim ita sensim rigescunt, ut admodum difficilis eorum motus evadat: quod eo aliquando devenit, ut pedibus ad nates appropinquantibus ægri in globum misere contrahantur. (Cadav. VIII., Hist. IV. XVII. XXVII. XXX.) Contractura hujusmodi Contractura

distinguenda est ab ea extremitatum contractione, quam vidimus a crampo oriri; illa enim utpote spasmodica, subito accedit, subitoque recedit, hæc diuturna est, & sensim augetur.

§. 29. Cætera, quæ hujus sunt classis, pellagræ symptomata, ut visus debilitas, cophosis, aphonia melancholica, paraphonia nasalis, cum præcipuum symptoma non sint, alio sunt transferenda.

Dolores.

Dolor capitis. §. 30. Dolores sunt adeo frequentes in hoc morbo, ut mirer summopere, de iis ne verbum quidem adhuc factum fuisse. Et quidem quos miserrima hac ægritudine affectos examinavi, fere omnes querebantur dolores. Præcipuæ autem partes, quæ affici solent, sunt caput, & dorsi spina.

§. 31. Caput acubus pungi, clavis terebrari, intolerabili gravari pondere, rodi, lacerari pluries conqueruntur pellagrosi. Verum quæ summam attentionem merentur, utpote frequentiora, sunt capitis ardor, ac susurrus. Primus est summa quædam molestia, quam ægri flammæ in cerebro accensæ comparant (Histor. I. IV. V. XVI. XIX. XX. XXIII.); alter autem est quidam molestus sonitus, quem ægrotantes in ipsa cerebri substantia experiuntur, quique ab iis modo rotæ molendinariæ circumrotationi, modo malleorum percussioni, tintinnabulo, cicadæ cantui, tritici cribrationi comparatur (Hist. IX. XI. XIV. XV. XVI. XVIII. XIX. XXVIII. XXIX. XXXI. XXXIV.

LII.

LII. LV. LVII.). Omnes isti dolores, molestæque sensationes nullam in cerebro determinatam sedem habent; nunc enim frontem, sinciput, occiput occupant; nunc huc illuc vagantur; nunc alterutram capitis lateralem partem præ cæteris afficiunt.

§. 32. Dolor spinæ dorsi est adeo frequens, & mirabilis, ut accuratissime hic mereatur describi. Hic etsi semper medullæ spinalis decursum sequatur, attamen minime peculiarem ibi sedem habet, sed modo deorsum ad os sacrum descendit, modo iterum sursum ad caput attollitur, mira, & diversa producens phænomena juxta situs diversitatem, in quo ipse subsistit. Si dolor vertebras cervicales præ cæteris afficit, tunc facile ad brachia protenditur, unde eorum stupor, crampus, subsultus, formicatio. Si paullulum descendens inter dorsi vertebras subsistit, ad thoracem tunc sæpe se se propagat. Si autem ad lumbos usque descendit, abdomen in consensum sæpe trahitur cum umbilici retractione, & extremitatum torpore, ut evenit in rachialgia Astrucii. Quod si ad os sacrum usque pervenerit dolor, tunc artus inferiores subsultibus, crampo, paraplexia, puncturis dolorificis afficiuntur. Mira hujusmodi doloris successiva mutatio (cujus exempla videri possunt in Historiis XXXIII. XXXIV. XXXV. XLII. XLIX.) pedetentim evenit plerumque; aliquando tamen ita velociter, ut ipsimet ægri momento id fieri narrent, guttæ delabentis, aut globi explosi sensum experti. Talis est dorsi doloris decursus, cui etiam spectat sensus ardoris, & formicatio, quam in spina quoque plurimi experiuntur. Dolores spinæ.

§. 33.

Dolores extremitatum.

§. 33. Extremitatum dolores, etsi aliquando articulos ipsos, ac musculos discrucient, plerumque tamen nervorum cursum sequuntur. Sæpe enim evenit, ut ægri, dum cursum doloris, quem experiuntur, significare volunt, digito nervos ipsos commonstrent, quod frequentius occurrit in crurum doloribus, in quibus nervi ischiadici, aut cruralis situs ab ægrotantibus exacte ostenditur ut in vera ischiade nervosa Cotunnii (Hist. X. XII. XXVIII. XXIX.), a qua differunt dolores, quos sentiunt pellagrosi, quod illa diuturna sit, hi autem plerumque subito oriantur, subitoque evanescant, ad dorsum unde venerant redeuntes. Diuturnæ tamen ischiadis exemplum videatur in Hist. XXV.

§. 34. Ex his igitur constat, dolores in pellagrosis mirabilem systematis nervosi cursum sequi, in capite, & spina præprimis sævientes. Quod autem admirabilius videbitur, dolores hujusmodi sibi invicem alternatim succedunt ita, ut clare pateat, destillationem quamdam, ut verbis Veterum utar, a cerebro ad nervos percurrere. Neque credendum eſt, nervosum systema tantum affici, cum morbus invaluit; dolores enim initiatæ sunt etiam ægritudinis, & sæpe cætera pellagræ symptomata præcurrunt.

§. 35. Etsi dolorem dorsi ad thoracem non modo, verum etiam ad totum abdomen se se propagare retulerim, non is tamen sum, qui omnium, quibus pellagrosi laborant, dolorum originem a spina repetam, cum vagos pectoris, abdominisque dolores tunc etiam aliquando observaverim, cum nulla in spina dorsi molestia adesset. (Hist. XXXII. XLII. XLIV.) Neque extremitatum dolores

lores nervorum cursum perpetuo sequuntur; ipsi enim arthritidem, ac rheumatismum æmulantes articulos ipsos, ac musculos aliquando discruciant. (Cadav. VIII., Hist. XXXII.)

§. 36. Caput, & dorsum ardoris sensu non raro cruciari jam annotavi; nunc autem sciendum est, eo etiam cæteras corporis partes aliquando molestari, quasi igne comburantur, etsi thermometro adhibito minime caloris reale augmentum appareat. Fœminæ cuidam vola manus ita ardebat, ut pruna imposita ei videretur (Hist. XXII.). Scintillas urentes quasi electricas a cerebro ad oculos, ad aures, ad nares velocissime transferri, sinistrumque brachium ardere vir referebat. (Hist. XV.) Partes vero, quæ frequentius hac molestia afficiuntur, sunt pedes, qui adeo sæpe ardent, ut insomnes ægri transigant noctes. (Hist. VIII. X. XIII. XIX. XXXV. XLV. XLVI. LX. LXXVII.) Ne autem ardor hujusmodi confundatur cum eo, qui ab ipsa erysipelatosa pedum desquamatione provenire potest, notandum est; 1. ardore, de quo agimus, eos etiam aliquando laborare, quibus nondum desquamatio apparuit; 2. desquamationem dorsum adoriri, ardorem autem plantas afficere; 3. illam vernali tempore ut plurimum erumpere, & vita omnino umbratili evanescere; hunc fere toto anno ad mortem usque perdurare. Ardor

§. 37. Antequam ulterius progrediar, non est hic omittendum, non raro dimidiam lateralem totius corporis partem affici me vidisse, altero latere illæso. Admirabilis hujus phænomenon, quod, si necessarium quis judicat nomen, *hemiopalgia* dici posset, exempla præbent Dolores alterum tantum corporis latus afficientes.

bent Cadav. V., & Histor. VI. XI. XXVI. XXXIII. LVI. Etenim in Joanne Vimercati (Cadav. V.) gena dextera trismo dolorifico afficiebatur, & dolor dorsi ad brachium dexterum, dexterumque crus protendebatur. Christophorus Figini (Histor. VI.) molestum ardorem in sinistro capitis latere, dolorem imi dorsi ad pedem usque sinistrum se se extendentem, & brachii quoque sinistri stupiditatem conquerebatur. In Margarita Paganini (Histor. XI.) crampi aderant sinistrum corporis latus afficientes. In Magdalena Della Vedova (Histor. XXVI.) dorsi dolor ad sinistrum corporis latus ita se se propagabat, ut sinistra tantum tibia, sinistrumque brachium afficeretur. Carolus Canzi (Histor. XXXIII.) ardoris sensu in dextero capitis latere, & dexteri brachii, dexterique cruris summa debilitate laborabat. In Antonio Barbaglia (Histor. LVI.) latus cerebri sinistrum dolebat, sinistrumque brachium convellebatur. Præter hujusmodi exempla etiam extra Nosocomium pellagrosam vidi fœminam, quæ ardorem, & dolorificas puncturas in tota dextera corporis parte, illæsa altera, querebatur, & virum pellagræ quoque morbo laborantem, cui dextera capitis pars flammæ sensu afficiebatur, ejusdemque lateris extremitates frequenti crampo laborabant.

Vesaniæ.

Delirium §. 38. Dicendum nunc est de iis pellagræ symptomatibus, quæ internos animi sensus respiciunt, & primum de delirio, utpote tristi huic morbo facile superveniente. Delirium hujusmodi duplex est, unum ac-

acutum, diuturnum alterum. Primum ad paucos protrahitur dies non sine vitæ discrimine, febri stipatur irregulariter exacerbante cum pulsu celeri, & duriusculo, & quocumque morbi statu, ac qualibet anni tempestate per vices recurrit. Dolores imminuti, major cerebri susurrus, vertigo gravior, frequens exspuitio accessum prænuntiant. Non autem eodem modo se gerunt hujusmodi delirantes; alii enim tristes, & attoniti cibum, & potum recusant, ne verbum quidem interroganti respondentes; læti alii clamant, & vociferant; alii aspectu truces obmurmurant; alii tandem, quod frequentius vidi, caput huc illuc velociter agitantes tintinnabuli sonitum ipsimet voce imitantur. Declinante paroxysmo sudores peculiarem odorem exhalantes sæpe per totum corpus erumpunt, & maculæ rubræ in brachiis, & facie non raro apparent (Histor. XVIII. XXXIV. LVII.). Quod si in pejus ruat æger, tunc carphologia, nystagmus, totius corporis instabilitas, trismus, pulsus formicantes mortem imminentem portendunt. (Cadav. II. III. XI. XVI.)

§. 39. Adhuc de delirio acuto; nunc de diuturno, quod modo amentia, modo mentis stupiditas, modo melancholia dici potest. In prima pellagrosi ad recte ratiocinandum inepti omnia prætermittunt, rident, lugent. In secunda, cui etiam amnesia spectat, stupidi, & obliviosi ne objectorum quidem impressiones attendunt. Tertia tandem, quæ est frequentior, sæpe religiosa est, attonita, errabunda, & tristis. Etenim nonnulli judicia Dei metuentes diem, & noctem preces fundunt; alii cogitabundi, & immobiles interroganti minime respon-

dent; plurimi, hominum frequentiam fugientes, quo vadant nesciunt; nec desunt, qui eo deveniunt, ut vitæ pertæsi se laqueo suspendant, aut præcipites in puteum descendant. Hæc in aquas se præcipitandi effrænis cupiditas, quæ, si licet novos terminos procreare, *hydromania* dici potest, etiam in illis aliquando observatur, qui animo compotes facinus hujusmodi probe noscunt, ac fugiunt. Has omnes delirii species diuturnas diximus; sæpe enim ad plures menses perdurant.

Vertigo.

§. 40. In pellagrosorum vertigine non objectorum externorum, sed cerebri tantum, ipsiusque corporis apparens adest rotatio, quæ visus obscurationem, interdumque tantam nutationem inducit, ut humi ægros prosternat. Hic tamen notandum est, non semper vertiginem adesse, quoties humi concidunt pellagrosi; fit enim aliquando, ut absque rotationis sensu caput adeo grave ægris videatur, ut anterius ab intolerabili pondere tracti corruant, caput ipsum in terram impingentes. Symptoma hujusmodi, quod præprimis tunc eis evenit, cum soli expositi antrorsum se se flectunt, an emprosthotonos species? Nullus adest spasmus, nullus contractionis sensus.

Bulimia, & Pica.

§. 41. Pellagrosos intensa fame ut plurimum vexari notum est: depravatum autem appetitum bis tantum mihi contigit observare in duabus fœminis. Prima carbones, calcis fragmenta, ovorum testas in deliciis habebat, & ad tantum devenerat, ut fæces ipsas devoraret alvinas (Histor. XLII.). Altera cibos omnes respuens lotium avide potabat.

§. 42.

§. 42. Idem objectum sæpe duplicatum pellagrosis apparet, & aurium tinnitus est eis frequentissimus. Sed hæc nulla indigent explicatione, unde ulterius progrediar. Diplopia, & Syrigmus.

Fluxus.

§. 43. Striæ illæ sanguineæ, quas cum pituita, aut pure mixtas vidimus a pellagrosis molesta tussi expectorari, ad tussim potius, aut incipientem phthisim spectant, ideoque hic tantum illa sanguinis puri collocanda est rejectio, quam observavimus in Cadavere XII., & Historia XXVI. In iis enim sanguis purus, rutilus, & non admodum paucus tussi per os erupit cum titillationis, erosionisque sensu in aspera arteria, quod illinc erosis vasis prodiisse demonstrat. Hæmoptysis.

§. 44. Sive pellagra ipsa sit quædam peculiaris scorbutica dyscrasia, sive ea facile in scorbutum degeneret, aut cum eo complicetur (quod alias ad examen erit revocandum), plurima quidem scorbuti symptomata non raro in pellagrosis occurrunt. Gingivas, quæ sanæ ut plurimum in iis apparent, aliquando vel nimis rubentes, & tumidas, vel facile sanguinem fundentes vidi. (Histor. XXIX. XL. XLI. LIV.) Quod si Cadaver XIII., & Histor. IX. XXVIII. XXX. XXXI. L. LII. relegemus, ægros ibi videbimus ad talem morbi statum redactos, ut vere scorbutici appellari mereantur. In iis enim non modo gingivæ tumidæ, spongiosæ, & sanguinolentæ factæ sunt, sed maculis etiam fœdata sunt crura, lividoque colore tibiæ infectæ sunt. Ne tamen maculæ istæ cum iis confundantur, quas (§. 9.) descripsimus, Stomacace.

notandum est, has atro colore præditas, & crura potissimum occupantes tunc tantum erupisse, cum alia scorbuti signa aderant; illas vero purpureas ut plurimum dorsum manuum, cubitum, & faciem afficientes critice sæpe apparuisse quocumque morbi statu.

§. 45. Duplex alvi fluxus observari solet in hujus-
Alvi fluxus modi morbo, dysenteria, & diarrhœa. Prima, qua mucoso-cruenta materies cum torminibus, & assidua egerendi cupiditate per anum dejicitur, raro occurrit; altera, qua excrementa fluxilia, & aquosa egeruntur, frequentissima est in pellagrosis, & ita sæpe pertinax, ut maciem, hydropem, mortem ipsam non raro inducat. Non est tamen credendum, diarrhœam esse confirmati pellagræ gradus necessarium symptoma; plures enim vidimus summa alvi pertinacia ad mortem usque laborare, alios contra diarrhœa corripi initiata ægritudine.

§. 46. Idem dicendum est de uberi salivæ excretione, quæ in quocumque morbi stadio per vices recur-
Ptyalismus. rit. Consistit hæc in exspuitione limpidi humoris salivalis ubertim in os confluentis sæpe cum faucium pallore, & sensu quodam ei simillimo, qui oritur a sale marino. Saporem istum etiam extra ptyalismi occasionem plurimi solent conqueri pellagra laborantes horis præsertim matutinis, ita ut os sale culinari refertum, & cibi nimia hujus copia conditi eis videantur (Histor. XXXVIII. XLI. XLV. LIV.)

§. 47. Humorem serosum, & limpidum ex ocu-
Coryza, & Epiphora. lis, & naribus constanter stillare cum gravativo frontis dolore, & voce nasali sæpissime mihi contigit videre, ita ut primo ægros communi catarrho, vulgo *infreddatura*, labo-

laborare opinatus fuerim. Verum cum nulla evidenti caussa apparente hujusmodi symptomata per menses, & annos durare vidissem, non dubitavi hæc quoque inter ea, quæ ab ipso morbo immediate proveniunt, enumerare. Frigidus ut plurimum est hujusmodi effluxus, scilicet sine pruritu, aut calore; aliquando tamen xerophthalmias infert, & frequentem sternutationem. (Histor. XII. XIV. XXX. LIV. LVIII.)

§. 48. Sudor, quem in pellagrosis observavi, febrilis fuit alius, alius apyretos. Primus rursus vel cum levamine erupit, vel absque eo: ubi enim de delirio cum febri agebatur, sæpe ipsum evanuisse annotavi plurimo oborto per totum corpus sudore, & contra dictum est alias, sudorem toto corpore sæpe manare absque levamine in quadam anomala febricula, quæ pellagrosos adoritur. Sudor autem ille, qui sine febre, & sine evidente caussa erumpit, partialis est, & criticus, ut plurimum manibus, & pedibus potissimum superveniens; fit enim sæpe, ut spontaneo sudore hæ partes diffluant, ardore, quo cruciabantur non modo, verum etiam aliis pellagræ symptomatibus imminutis. An manus, & pedes præ ceteris sudant, eo quia ibi cutis laxiori textura donatur ob præviam cuticulæ desquamationem? Minime hæc admitti potest opinio, 1. quia desquamatio pedum, manuumque dorso contingit, sudor contra plantæ, & volæ supervenit; 2. sudor iste etiam iis accidit, quibus nondum cuticula separata est in squamas. Ephidrosis.

§. 49. Gravis, qui sæpe e pellagrosis odor erumpit, præsertim cum ipsi delirio, aut febri detinentur, in- Dysodia.

insuavis quidem est, sed ita specialis, ut similem nunquam me sensisse meminerim. Si quis tamen quandam imperfectam ideam desiderat, modo illi, quem mucida exspirant, odori, fœtori modo, qui e bombycum folliculis maceratis erumpere solet, eum comparare potest. (Cadav. XI. XVI., Histor. XIV. XVIII. L.)

Dysuria, & Enuresis §. 50. Levis in mejendo ardoris sensus frequenter occurrit in pellagrosis; urinæ autem incontinentiam in tribus observavi, qui præter cætera dolorem imi dorsi querebantur (Cadav. XIII., Histor. L. LIII.). Cæterum urinæ in hoc morbo tenues ut plurimum sunt, pallidæ, & copiosæ.

Cachexiæ.

Macies. §. 51. Pellagræ morbus non est adeo nutritioni adversus, ut inter ejus symptomata summa corporis macies constanter observetur. Vidi enim optimo corporis habitu donatos (Histor. VI. VIII. X. XVI. XVII. XXXIV. XLI. XLV. XLVIII. LV.) pessime quoad cætera se habere; quin immo nonnullos ad mortem usque pervenire observavi absque ullo naturalis torositatis detrimento (Cadav. II. XVI.). Ergo macies non est pellagræ necessarium symptoma. Quod si aliquando etiam bene pasti pellagrosi macescunt, immodicis, quibus extenuantur, evacuationibus, vel visceris alicujus supervenienti labi tunc macies est tribuenda, non ipsi morbi caussæ proximæ; ideoque macies in pellagrosis erit symptoma symptomatis.

§. 52.

§. 52. Frequenter autem phthisim occurrere pulmonalem satis patet ex sectionibus Cadaverum V. VI. IX., & X. Hanc autem non esse accidentalem complicationem, sed ab ipsa erodente pellagræ caussa immediate oriri, antecedentia demonstrant, concomitantia, & consequentia. Phthisis.

§. 53. Anasarca, & ascites non raro pertinacem alvi fluxum subsequuntur (Cadav. XIV., Histor. LVI.). Levis autem illa, & elastica abdominis intumescentia, quæ in tribus delirantibus (Cadav. III., & XVI, nec non Histor. XVIII.) observata fuit, cum symptoma fuerit fugax, & acutum, non tympanites, sed meteorismus abdominis juxta Sauvagesium est appellanda. An spasmodicus? Cadaverum sectione inventa sunt intestina aere distenta. Hydropes, & Meteorismus.

§. 54. De ceteris, quæ ad hanc classem spectant, pellagræ symptomatibus, ut de tinea porriginosa, & coloris nativi mutationibus jam dictum est in prima classe, unde nihil aliud hic superest, nisi annotare gangrænam illam, quæ infima dorsi occupabat in Cadavere IV., & VIII. Gangræna

§. 55. Hæc sunt quæ in pellagrosis observavi symptomata nullo ordine invicem succedentia; in nonnullis enim vernali prius desquamatione manus fœdantur, quam cætera appareant; in aliis contra internæ corporis partes jampridem male plectuntur, antequam extus morbus præbeat indicia: modo nervosa symptomata cæteris præeunt, modo ea nonnisi adulto morbo apparent; quod etiam dicendum est de doloribus, deliriis, diarrhœa, ptyalismo &c., quæ omnia non ita Morbi decursus.

con-

confirmato propria sunt morbo, quin etiam in initiato appareant. Acrimonia enim, quæ caussam pellagræ proximam constituit, nullis adstricta legibus huc illuc defertur, nunc ~~autem~~ cutem turpans, nunc cerebrum, nervosque torquens, pulmones nunc erodens, nunc enormes concitans evacuationes. Ergo in pellagra talis non datur symptomatum successio, ut ab eorundem diversitate morbi gradus constitui possint.

§. 56. Neque semper hujusmodi morbus ita temporis progressu adaugetur, ut æger in singulos annos ruat in pejus. Sunt enim, qui plurium annorum spatio morbum facile ferunt; sunt contra, queis summum vitæ periculum confestim incumbit; nec desunt, quibus morbus modo minuitur, modo latet, modo iterum quasi e funeribus redivivus magno impetu prorumpit. En igitur caussa, qua generalem pellagræ historiam describens, omissa morbi in diversos status consueta divisione, Sauvagesii methodum seligerim.

§. 57. Si quis tamen morbum hunc in levem, gravem, & desperatum dividere velit, ei per me licet, dummodo non a symptomatum diversitate, sed ab eorum intensitate id repetat. Generatim sequenti ordine pellagræ morbus procedit. Primo æger vere tantum ægrotat, cæteris autem anni temporibus tam levia sunt, si quæ patitur, salutis incommoda, ut ea negligens optima frui valetudine glorietur. Temporis progressu vere quidem morbus exacerbatur; totius tamen anni decursu nonnulla, quæ anguem in herba latere significant, identidem se se manifestant. Tandem eo ducitur morbus, ut pessime toto anno se habeant ægri, continuoque in

vitæ

vitæ discrimine versentur. Ergo pellagra non ita vernali tempori est propria, quin aliis tempestatibus conveniat. Quod si desquamatio (§. 4.) vere tantum ut plurimum erumpat, non inde deducendum est, pellagram esse veris morbum; desquamatio enim non est morbus, sed morbi symptoma.

§. 58. Vidimus in enumeratione symptomatum, quænam procedant a morbo ipso, quænam a caussa, & quæ ab alio oriantur symptomate; sed quænam erunt ea, quæ ad pellagram dignoscendam, & ab aliis morbis distinguendam sufficient? Cum nullum pathognomonicum signum adhuc detur, aliquando etiam desquamatione (§. 6.) deficiente, superest, ut definitionis defectum suppleat brevis historica descriptio. Pellagra igitur definiri potest *morbus chronicus totius corporis, cerebri nervorumque functiones potissimum lædens, ut plurimum cum desquamatione dorsi manuum, & pedum, aliarumque aeri expositarum partium*, sive est syndromes eorum, quæ retulimus symptomatum, inter quæ præcipua, & frequentiora sunt variæ affectiones cutaneæ, spasmi, dolores, vesaniæ. Definitio Pellagræ.

De historica pellagræ cognitione satis; nunc ad philosophicam, sive ad caussarum investigationem transeamus.

ARTICULUS II.

Caussarum remotarum pellagræ investigatio.

§. 59.

An pellagra hæreditate propagetur?

INnumeri pellagrosi a pellagrosis parentibus ortum habuerunt. (Cadav. V. XIII., Histor. XI. XII. XIV. XVI. XX. XXIV. XXXIII. XL. L. LV.)

Pellagrosorum filii in tenella ætate parentum morbo facile corripiuntur. (Cadav. II. VIII., Histor. III. XVII. XXIX. XXXII. XLII. LXXIII.)

Raro pellagra quis laborat, quin fratres ejus, aut sorores ea quoque afficiantur. (Histor. III. IX. XIII. XXVI. L. LVII.)

Integræ familiæ pellagrosæ reperiuntur. (Histor. XVIII. XLV.)

Ergo jure dici potest, pellagram a parentibus in filios traduci posse.

§. 60. Non raro, inquies, occurrit e pellagrosis parentibus natos videre, in quibus nulla morbi nota observatur. Verum id evenire potest, eo quia hæreditaria labes in iis delitescat, nonnisi tractu temporis, & alia forte ignota caussa conspirante eruptura. Et re quidem vera plures vidi, in quibus, postquam puberes, & ætate provecti facti fuerunt, parentum labes erupit, quæ in adolescentia latuerat.

§. 61. Nonnulli contra, urgebis, pueri pellagrosi observantur, tametsi in parentibus nullum pellagræ vestigium

tigium conspiciatur. An tecta in parentibus labes potest in filiis manifestari? An potius spontaneus, & acquisitus morbus tunc est dicendus, non hæreditarius? Utrumque liceat asserere; etsi enim pellagram sæpe hæreditate propagari contendam, spontaneam tamen etiam esse non inficior.

§. 62. Idem habitantes domicilium, eodem utentes cochleari, in eodem decumbentes lecto cum pellagrosis immunes tamen sunt ab hujusmodi ægritudine, & optima valetudine frui potest maritus pellagræ morbo laborante uxore, & contra. Ergo neque contage, neque concubitu propagatur. An contage?

§. 63. Plethoricos, & phlegmaticos, biliosos, & melancholicos, graciles, & obesos, athleticoque præditos habitu indiscriminatim hic morbus adoritur; neque ingravescente tantum ætate, aut media erumpit, cum etiam adolescentes, & infantes ea viderim laborantes. Maria Morelli (Histor. XLI.) cœpit a pueritia exteriora gerere pellagræ signa. Gaspar Ferrari (Histor. LXXII.) octavum ætatis annum attingens pellagræ morbo pessime afficiebatur. Francisca Guida, (Histor. LXXIII.) etsi quadrima esset, attamen vertiginem primo passa, pellagrosam deinde prætulit desquamationem: quod in Aloysia Gornova (Histor. LXX.) tribus annis nata, & Maria Barbaglia (Histor. LXXI.) adhuc bima evenisse notavimus. Quin immo Julio Panegini (Histor. LXXIV.) fasciis obvoluto manicularum dorsum spoliatum est epidermide. Ergo pellagra neque ulli parcit temperamento, nequæ ætati. Quod autem ad sexum spectat, si pellagrosorum numero, qui mihi se se obtulere, habenda est ratio, fœminas

Temperamento non parcit, non ætati, non sexui.

facilius quam mares ægritudini obnoxias esse dicendum est.

Non est morbus tantum agricolarum.

§. 64. Pellagram agricolarum esse morbum, constans fuit apud plures opinio; sed falsum id ostendunt plurimæ ex allatis Historiis. Nam ut prætercam me observasse, eos quoque pellagrosos evadere posse, qui utpote familiæ rectores vix ullam agrorum cultui dant operam (Histor. XIX. XXVIII.), nec non eas, quibus domesticæ curæ incumbunt, fœminas; vidi etiam Textorem (Histor. IX.), Laterarium (Histor. XXXV.), Lignarium fabrum (Histor. XLVI.), Sartorem (Histor. XLVII.), virum Ecclesiasticum (Histor. LX.), Pharmacopolam (Histor. LXXV.) pellagræ morbo reapse laborare. Præter hos Paulina Belloni (Histor. XXVII.), Josepha Gambara (Histor. XXIX.), & Theresia Prandoni (Histor. LVIII.) quavis æstate relicta agrorum cultura sericum e bombycum folliculis conficere consueverant; Angela Orsini (Histor. LI.) arte suendi sibi victum comparabat; Magdalena Marciandi (Histor. LIV.) pannum ex lino, & gossipio texebat; Joannes Ghilini (Histor. LXXVII.) in assulas ligna scindebat. Ergo etiamsi agricolæ pellagræ præ cæteris obnoxii sint, non ita tamen est eis propria, quin alias artes exercentes aliquando aggrediatur.

Aeris siccitas, aut humiditas nil confert.

§. 65. Sepriensium collium, vulgo *Montagnola*, habitatores, qui saluberrimo fruuntur aere, pellagra æque afficiuntur, ac fluminis *Olona* accolæ, qui prata incolunt aquis undique circumdata. Oppidum *Somma* ex. gr. in salubriore clivo locatur, *Legnano* contra in humili solo rivorum copia humidissimo situm est; attamen utriusque loci

loci incolæ endemicum æque morbum experiuntur. Ergo neque aeris siccitas, aut humiditas ab hujusmodi servat homines ægritudine.

§. 66. Pellagrosa desquamatio nonnisi nudatos artus afficit. (§. 3.) Solis actio ad pellagrosam desquamationem.

Pellagrosi, qui chirothecis manus a sole defendunt, earum desquamationem effugiunt (Histor. LVI. LVIII.). Qui in Nosocomio excepti vita omnino umbratili fruuntur, ab ea servantur; quod si ea fœdi ingressi jam fuerint, brevi per se expoliuntur.

Ergo fatendum est, plurimam esse solis actionem in promovenda desquamatione.

§. 67. Verum an a solis actione, & vi tota pendet desquamatio? An solis radii pro caussa tantum determinante habendi sunt? Id a magnitudine symptomatum caussæ vel proportionalium, vel multo majorum docente Lorry (a) judicabis.

Ut pellagrosorum manus fœdentur, sæpe pauca irradiationis minuta sufficiunt.

Aer radiis solaribus etiam non directis præfulgens satis aliquando fuit, ut extus pellagra erumperet.

Desquamatio vere potissimum sævit solis radiis tepentibus, & contra ardente sirio minuitur.

Ergo desquamatio non est vi solis proportionalis. Ergo caussæ non correspondent effectus, ideoque præter solis actionem aliud quid requiritur, interior scilicet morbosa humorum dyscrasia. Ergo solis radii pro desquamationis caussa tantum determinante habendi sunt.

§. 68.

(a) Tractatus de morbis cutaneis pag. 161.

An insolatio inter ipsius morbi caussas enumeranda sit?

§. 68. Adhuc de solis actione ad pellagrosam desquamationem; nunc perpendendum est, utrum sol ad ipsum pellagræ morbum generandum, ut plurimi opinantur, conferat. Domesticas artes exercentes non semper a pellagra immunes evadunt (§. 64.). Si quis pellagræ morbo laborans a sole omnimode abstinet, desquamationem quidem evitat, non morbi progressum. Ergo insolatio non est causa morbi.

§. 69. Fatendum est tamen, irradiationem pellagrosis plurimum nocere, sive phlogistum illud universale, ut verbis utar Lorry, intrudatur, sive major pravi humoris copia ad cerebrum sic alliciatur. Antonius Lampugnani (Histor. IX.), cum ex mulierculæ consilio manibus, & pedibus linimento quodam inunctis soli se se exposuisset, asphycticus cecidit; & Antonius Barbaglia (Histor. LVI.) soli forte expositus tot, tantisque pungi sibi sensit acubus cerebrum, ut stupidus in terram præceps procubuerit. Præter exempla hæc fere omnes pellagrosi radiorum solarium exitium testantur; cum ab insolatione vertigine, & capitis gravitate (§. 40.) facile corripiantur. Sed hæc omnia solem pellagrosis quidem inimicum esse, minime vero ad morbum generandum conferre demonstrant.

§. 70. Binæ tantum Historiæ ex iis, quas retuli, primo intuitu insolationem reapse inter morbi caussas reponendam esse ostendere videntur. Carolus Ferrajolo (Histor. XIX.) postquam per horæ dimidium solaribus expositus radiis somno indulsisset, caduca correptus est vertigine, manuumque dorsus desquamatione fœdatus primo fuit. Joseph Cozzi (Histor. XLVI.) cum die festo

per

per agros apertos supplicans cum sodalibus nudum caput solis radiis exposuisset, cephalalgia cœpit laborare, dein paucos post dies dorsum manuum primitus spoliatum epidermide fuit. An igitur deducendum, insolationem non desquamationi tantum, sed morbo ipsi originem præbuisse? Probabilius est, morbum in his jampridem latentem insolatione se se manifestasse. Concludendum igitur est, maximas quidem solis partes esse in promovenda desquamatione, sed vix, aut ne vix ullam in producendo, atque generando pellagræ morbo

§. 71. An singulare roris ingenium, an peculiares ventorum halitus in nostro felicissimo agro pellagram generant? Id longe a probabilitate distat; nam etsi roris actione pedes rubore, ac pruritu vexari Bononienses docuerint, (a) ventorumque aliquot exurentium halitu epidermidem separari, & in phlyctænas attolli annotaverit Lorry; (b) minime tamen possibile est, ex his eam perversam humorum indolem oriri, quæ pellagræ morbum constituit. Præterea nonne pellagra etiam ii afficiuntur, qui domesticas artes exercent, quique neque rori, neque ventis unquam exponuntur? An ros, & venti?

§. 72. Bono victu enutriti a pellagræ morbo non semper servantur (Cadav. V., Histor. X. XXVII. XXVIII. LVIII. LX. LXXV.); & contra qui victum ostiatim quæritant, sæpe sunt ab ea immunes. Qui vino abstinent, uti est pleraque agricolarum pars, æque ac ii, qui eo abutuntur (Cadav. V., Histor. LX.), pellagrosi eva- Num cibi pravitas?

(a) Comment. Acad. Bonon. tom. V.
(b) Tract. de morbis cutaneis pag. 36.

evadere possunt. Ergo non semper cibi pravitati tribuendus est pellagræ morbus, aut vini defectui.

§ 73. Srinc (a) morbum Wartembergæ epidemicum a secale cornuto, *ergot*, describens, plura ibi annotat observasse, quæ pellagræ quoque sunt symptomata, ut manuum, pedumque molestissimus ardor, capitis gravitas, diplopia, mania, melancholia, opisthotonos, bulimia, sanguineæ maculæ, spasmi contracturæ. Linnæus (b) morbum plurium septentrionalium regionum endemicum raphanistro refert acceptum. Nuperrime, Medici Florentini (c) quamdam observarunt inferiorum extremitatum paralysin, quæ a pane cicerculis, & vicia confecto orta fuerat. An igitur turcico frumento, secali, & milio, quo nostrates utuntur, noxium quid simile immiscetur? Ecclesiasticus (Histor. LX.), & Pharmacopola (Histor. LXXV.) triticeo pane, optimoque victu utebantur.

Nam animi pathemata?

§. 74. Neque animi pathemata inter pellagræ caussas enumeranda videntur. Agricolæ enim, qui præ cæteris pellagræ sunt obnoxii, tanta animi sensibilitate minime donantur, ut ea de caussa in ægritudines incidere facile possint. Præterea cur pueri, qui nunquam adversis commoventur, pellagræ morbo afficiuntur? Cur cives, qui facilius humanis premuntur vicissitudinibus, ab ea sunt immunes? Quod si Catharina Poncirola (Cadav. VII.) post mortem mariti cœpit tristis esse, & delirare, nil mirum videbitur, cum ipsa jampridem exter-

---

(a) Satyr. Medic Silesiac. specim. tert. obs. 5.
(b) Amœnitat. Academ.
(c) Avvisi sopra la salute umana 1785. num. 36.

externo pellagræ vitio fœdari consuesceret. Neque ex eo, quod Mariæ Corbellæ (Cadav. III.) conjugis mortem ploranti lac subito e mammis evanuerit, dein manus primum epidermide fuerint exspoliatæ, concludi certe potest, a mœrore morbum originem traxisse; nam cum ipsa eodem tempore lactans esset, fieri etiam potuit, ut lactatus ipse, aut subita lactis retropulsio morbo dederit occasionem.

§. 75. Et re quidem vera plures aliæ fœminæ factæ sunt pellagrosæ eodem tempore, quo proli propriæ ubera præbebant. Maria Theresia Marini (Cadav. VIII.) infanti ubera præbens primum vertigine, & aphthis correpta est, ac subsequenti vere manuum prætulit desquamationem. Archangela Limidi (Histor. XVI.) propriam lactans prolem pertinaci primum diarrhœa laboravit, dein manuum epidermis in squamulas primitus abiit. Regina Zampini (Histor. XX.) propriæ prolis nutrix prima prætulit pellagræ signa. Josepha Gambara (Histor. XXIX.) anno 1774., postquam lac puero præbere desiisset, corripi cœpit vertigine, & anno 1780. ubera iterum præbens pellagrosa primum desquamatione fœdata fuit. Theresiæ Prandoni (Histor. LVIII.), dum lacte proprio filium aleret, manus, & pedes desquamatione, & rhagadibus deturpari cœperunt. An ipsa lactatio in his morbum produxit? An tantum effecit, ut latens erumperet?

Lactatus an conferat?

Catalepsi

§. 76. Hieronyma Zaffaroni (Histor. XLII.) anno 1780., cum fœtum gereret, manus epidermide sibi sensit primum exspoliari, & anno 1784. utero rursus gravis cœpit delirare. Molitoris mulier (Histor. LXIX.)

Graviditas, & puerperium.

post paucos a partu dies pluribus pellagræ symptomatibus correpta est. An igitur graviditas, & puerperium quidquam ad pellagram conferunt?

An febres male judicatæ? §. 77. Magdalena Marciandi (Histor. LIV.), postquam longa laborasset febri, dolores in articulis conqueri cœpit, dein temporis progressu facta est pellagrosa. Ambrosius Bollini (Histor. LXII.) febre intermittente pertinaciter laboravit, dein pluribus correptus est pellagræ symptomatibus; quod Ursulinæ (Histor. LXV.) quoque, & Puellæ (Histor. LXXVI.) evenisse notavimus. An igitur acutæ, & diuturnæ febres male judicatæ pellagræ morbo viam sternunt?

An aucta perspiratio? §. 78. Reliquum est, ut aliquid dicamus de Sanctoriana perspiratione, & primum utrum ea præter modum aucta possit inter pellagræ caussas enumerari. Multa quidem in pellagrosis notantur ex iis, quæ ipso Sanctorio teste a copiosiori perspiratione oriuntur, ut *virium prostratio*, *tremor*, *debilitas*, *lassitudo*, *motus impotentia*, *pulsus debilis*, *convulsiones*, *dolores versatiles*. Verum neque semper corporis *extabescentia* in pellagræ morbo observatur, neque *sitis* intenditur, neque cæteræ sensibiles *evacuationes minuuntur*, neque *perit appetitus*, ut nimia perspiratione exhaustis accidere idem refert. Præterea si nimium perspirationis augmentum pellagram generat, cur fœminæ facilius quam mares hujusmodi morbo obnoxiæ sunt? Cur vitam agentes sedentariam ab eo minime servantur? Cur humidarum regionum incolæ æque ac sicco fruentes aere endemicam labem experiuntur?

§. 79. At, inquies fortasse, nonne agricolæ, qui nimia corporis exercitatione perspirationem augent, sudo-

doribusque tota diffluunt æstate, nonne pellagræ præ ceteris sunt obnoxii? Verum cur quæso in iis vernali tempore morbus sævit, postquam desides totam hiemem transegerunt? Nonne hyeme corporis pondus augetur? Nonne quiete deperditi reparantur humores? Ergo neque nimia perspiratio, neque sudores (eadem enim valet ratio) quidquam valent ad pellagræ morbum producendum.

§. 80. An imminuta contra perspiratio tamquam pellagræ caussa incusari potest? Id paullo fusius examinemus. Etsi perspiratorios humores retentos per se vix posse corpori nocere plures arbitrentur, cum eos ad renes, vel ad intestina refluos ferri censeant absque ulla corporis noxa; attamen experientia constat, plurimos morbos a sola retenta perspirabili materie oriri. Etenim neque semper vicariæ evacuationes præsto sunt, neque, si adsunt, id omne evacuare præstant, quod insensibili perspiratione dispellitur. Humores per excretoria evacuandi specifica scatent materie, nonnisi suis singularibus organis separanda. Non est hic locus singula imminutæ perspirationis damna enumerandi; ea tantum attingere sat erit, quæ aliquam cum pellagræ morbo affinitatem habent. Whytt, (a) nervorum morbos a caussis perspirationem prohibentibus augeri expertus, id evenire probabile putat, eo quia materies perspirabilis retenta nervos irritet, ac vellicet. Tissot (b) ab imminuta perspiratione plures oriri censet nervorum morbos, quorum caussæ latere

An ea contra imminuta?

(a) Traité des maladies nerveuses tom. I. §. 73.
(b) Traité des nerfs, & de leurs maladies Chap. VIII. art. V. §. 40.

latere videntur. Joannes de Gorter, quo nemo inter Neotericos Sanctorianam perspirationis doctrinam melius excoluit, propria edoctus experientia nervorum morbos (a) diaphoresi curari posse statuit, utpote ab acrimonia nervosum succum inquinante, nonnisi insensibili perspiratione auferenda, prodeuntes.

§. 81. Hisce prænotatis an perspirationis imminutio quidquam conferre potest ad pellagram generandam? An acredo illa, quæ in pellagrosis nervosum systema miris torquet modis, a retenta perspirabili materie originem ducit? Duplex a perspirationis imminutione nasci solet acrimoniæ species ipso Gorterio docente, quarum utri pellagra conveniat, suo loco dicetur. Annotare interim sufficiat, plura quidem pellagræ symptomata iis admodum affinia esse, quæ Sanctorius suppressæ perspirationi retulit accepta. Hujus census sunt corporis *lassitudo*, *vertigo*, *capitis gravitas*, *oculi lacrymosi*, *mœstitia*, *destillationes*, *convulsiones*, *alvi fluxus*, *urinæ copiosæ*. Quod si plura alia morbi phænomena attendamus, eo magis id probabile videtur; facile enim posita hujusmodi hypothesi intelligeretur, cur vere morbus potissimum sæviat, cur delirium sæpe sudoribus terminetur, cur critice sudent pedes, aliaque hujusmodi.

Frapolli, qui primus nonnullas de pellagra Animadversiones edidit (a), cutis exhalantes porulos aperiendi, ut transpiratio liberior fiat, maximam omnium, & præcipuam esse in hoc morbo intentionem censuit.

Verum

(a) De perspiratione insensibili pag. 21. 118. 304.

(b) Physici Francisci Frapolli Mediolanensis Nosocomii majoris Medici Animadversiones in morbum vulgo *Pellagram* 1771.

Verum neque balnea, neque frictiones extrinsecus, neque diaphoretica intrinsecus adhibita, neque aquam tædæ, neque cætera, quæ ipse proposuit, auxilia morbum unquam eradicare potuisse, ex allatis Historiis satis superque constat.

ARTICULUS III.

Investigatio caussæ proximæ.

§. 82.

Proxima pellagræ caussa residet in quadam humorum acrimonia.

CUm solidorum laxitas, imminuta humorum cohæsio, fluidorumque e proprio loco aberratio, ubi adsunt, pellagræ sint tantum effectus; superest, ut ejus proxima caussa in prava humorum qualitate, sive, ut loquuntur, acrimonia reponatur. Et re quidem vera nonne plura pellagræ symptomata serosam humorum partem acredine reapse pollere evidentissime demonstrant? Nonne, ut papulas prurientes, & herpeticas eruptiones omittam, ipsa manuum desquamatio acerrimum denotat serum? Docet id erysipelatosa, qua donatur, indoles; docent phlyctænæ, quæ sæpe flavescenti sero turgidæ ibi attolluntur. Licet enim hujusmodi cutis vitium a caussa externa, sole nempe, promoveatur, attamen, si non adesset interior acredo, brevis, levisque insolatio tantæ cutis fœditati inferendæ minime par esset.

§. 83. Neque diversam noscunt originem cætera, quæ observantur in pellagrosis; tussis enim, bulimia, hæmoptysis, alvi fluxus, ptyalismus, coryza, phthisis,

aliaque

aliaque hujusmodi nonnisi acri, & erodenti sero tribuenda videntur. An seri quoque acredini dolores, & spasmos, quibus pellagrosi frequentissime afficiuntur, acceptos referemus? An humor acerrimus, & tenuissimus ultimos vasorum mæandros soli pervios imaginationi penetrare valens cerebrum torquet, & nervos? Quoniam neque nervosi systematis rigiditas, neque ejusdem laxitas, neque aucta irritabilitas possunt in pellagrosis incusari, restat ut acritati humorum nervos alluentium nervosa symptomata referantur. Quod ut clarius intelligatur, nonnulla sunt præmittenda.

§. 84. Morgagnus, qui ex naturæ instituto tenuem in cerebri ventriculis aquam adesse negandum non credit (a), & secundum naturam aliquam ejus copiam in sacra quoque fistula agnoscit, (b) attamen aperte pronuntiat, serum, quod naturaliter in cerebro, & sacra fistula reperitur, nocere, cum aut copia multo majori, aut alia ac debeat natura est. Et quidem tetanum, quo prehensus fuerat juvenis, (c) ipse repetit a pauco sero salso in sinistro cerebri ventriculo reperto; & convulsivos motus vehementissimos, quibus virgo (d) obierat, paucis seri guttis e crassa prodeuntibus meninge acceptos non dubitat referre. Quod autem ad illud, quo fistula spinalis alluitur, serum spectat viri cujusdam (e) refert historiam, qui præter cætera dolorem in

(a) De sedibus, & causis morborum per anatomen indagatis epist. XII. §. 3.
(b) Epist. XI. §. 16.
(c) Epist. X. §. 2.
(d) Epist. X. §. 5.
(e) Epist. X. §. 13.

thoracis vertebris ad lumbos, & ad scapulas se se extendentem, inferiorum artuum resolutionem, tonicas superiorum convulsiones, totius corporis lassitudinem (frequentia pellagræ symptomata) conquerebatur; quæ omnia rejicienda putat in aquam, quæ ad occipitis foramen reperta in spinæ tubum descendebat. Neque aliter brachiorum explicat convulsiones, quibus juvenis (a) laborabat; eas enim aquæ potissimum refert inter quintam, & sextam thoracis vertebram repertæ. Quin imo miratur (b), cur ad dorsi dolores explicandos raro soleat commemoratio fieri irritationis meningum spinalem medullam convestientium.

Irritaz.e della meninge spinale

§. 85. Cotunnius (c), qui serum naturaliter in ipso calvariæ cavo, & inter duræ matris vaginam, spinalemque medullam reperiri opinatur; ibidem tamen in hoc humore causam ischiadis nervosæ reponit, vel quia copia excedens vaginas, nervumque conclusum imbuat, vel quia redditus acer nervum pungat, ac irritet.

§. 86. Nuperrime Franciscus Gennari (d), qui in cerebro de industria gelu concreto lamellarum glaciei forma serum ubique invenit, ejusque naturalem usum statuit; ab ejusdem tamen nimia copia, aut densitate apoplexiam, lethargum, & paralysin repetit; ab ejus defectu fatuitatem, ab acrimonia convulsiones, & dolores.

§. 87.

(a) Epist. X. §. 17.
(b) Epist. XXI. §. 46.
(c) De Ischiade nervosa Commentarius.
(d) Osservazioni del Sig. Francesco Gennari di Parma sulla struttura particolare del cervello, e sopra alcune malattie dello stesso. Parma 1782.

§. 87. Omnes igitur (ne nimium auctoritatis studiosus videar), serum, quod naturaliter in cerebro, aut medulla spinali reperitur, sæpe copia, densitate, & acredine morbosum evadere posse consentiunt. Et re quidem vera si quacumque de caussa exhalantes arteriolæ tantum seri in cerebrum, aut medullam spinalem effundunt, quantum recipere, ac revehere venæ absorbentes non possunt, nonne ibi tunc seri copia exuberans colligi debet? Si contra vasa serum illuc effundentia obturantur, nonne eà seri quantitas deficiet, quæ ad sanitatem est necessaria? Si tandem omnes corporis humores acrimonia peccant, quomodo serum nervos, & cerebrum alluens acri quoque non inquinabitur?

§. 88. Hisce præmissis perpendendum nunc est, an serum hujusmodi in pellagrosis copia peccet, an acredine. Hippocrates (a) ea referens, quæ ab aqua in cerebro proveniunt, plura quidem pellagrosis annotat communia, dum ait: *Si aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per sinciput, ac tempora emergit ...... & ex uno duo se videre putat, & si surrexerit, vertigo ipsum corripit, & non sustinet solem, & aures tinniunt.* An igitur serosa cerebri, nervorumque colluvies est incusanda? Non is sum, qui id affirmem, quique serum in defunctorum cerebro repertum morbi ipsius causam censeam; non enim me latet, seri hujusmodi effusionem in fine morbi sæpe fieri vasis constrictis, & sanguine remorato. Quod si cadaverum sectiones referens seri copiam in cerebro sæpe annotaverim, non hinc redarguendus mihi videor, cum ipse

(a) Lib. II. de morbis.

ipse Anatomicorum Princeps, dum sedes, & causas morborum per anatomen indagabat, plura adamussim retulerit, etsi ad morbi caussam minime pertinere probe nosceret. Si quis igitur serum, quod reperi, post mortem, aut mortis actu ibi collectum fuisse opinatur, ei per me licet, dummodo in pellagrosis morbosa pollere qualitate id fateatur.

§. 89. Quamquam per experimenta chemica acrimoniam hujusmodi nondum investigaverim (primum enim morbi historiam a natura ipsa depromere statui); attamen minime dubitandum opinor, serum hoc acribus revera scatere particulis. Etenim (ut omittam aquam in cerebro Cadaveris XII. repertam gustu exploratam saporem salsum excitasse) si in pellagra humores omnes, serosa in primis pars, manifesta inquinantur acredine, quæ nunc in cute phlyctænas excitat, & papulas, nunc in pulmones decumbens eos corrodit, nunc huc, vel illuc delata secretiones, excretionesque ubertim concitat, unde diarrhœa, coryza, & ptyalismus; quomodo quæso in tanta humorum omnium acrimonia lymphæ cerebrum, & nervos alluentis blanda erit, & innocua natura? Nonne hæc quoque, ut cæteri, humores a sanguine secernitur? *Limpidus ille, atque tenuis humor serosus*, ait Ern. Platner (a), *per minima vasorum in cerebri medulla exhalantium ostiola secundum naturam excerni solitus, dum malo de fonte fluxerit, quod iis accidit, qui sanguinem in universum depravatum habent, non poterit non, propterea quod acris est, hoc suo stimulo cerebri medullam vexare.*

(a) De vi corporis in memoria Spec. II. §. XII.

§. 90. Quod si ad memoriam revocentur ea, quæ de capitis, dorsi, & extremitatum doloribus (§. 31., & seq.) diximus, eo magis in opinionem adducimur, serum illud, quod in cerebro, & spinæ tubo naturaliter adest, acrimonia reapse in pellagrosis pollere. Et re quidem vera nonne sedes dolorum, directio, mutatio, concomitantia, effectus pravam, ut verbis Veterum utar, *destillationem* a cerebro in medullam comprobant? Hinc facile intelligitur, cur dolores medullæ spinalis decursum sequantur, cur capitis, & dorsi dolores alternatim sibi succedant, cur sæpe nervosa ischias accedat, cur frequens paraplexia. Neque difficilis erit explicatio tremoris convulsivi, crampi, subsultus artuum sive superiorum, sive inferiorum; prout enim diversorum nervorum origo in medulla ab acri irritatur, diversas hinc corporis partes affici necesse est.

§. 91. Apud Hippocratem (a) sequentia ad rem nostram leguntur: *Alius morbus oritur ex defluxione capitis per venas in spinalem medullam. Inde autem in sacrum os impetum facit: quo medulla ipsa fluxionem perducit, & in coxendicum acetabula, sive juncturas deponit, & si tabem fecerit, homo marcescit, & vivere non expetit; statim enim scapulæ dolent, amboque pedes, ac crura consequuntur, & semper tandem pereunt multo tempore curati.* Sennertus (b) scorbuticam sic explicat lumbaginem: *Potest & originem habere hoc malum per modum catarrhi a capite per venas in spinalem medullam descendentis, & proinde*

(a) Lib. de glandulis.
(b) Lib. 3. Part. 5. Sect. 2. cap. 4.

inde sæpe a scapulis incipit, & sensim ad lumbos serpit, & interdum etiam ad os coxendicis descendit. Quam opinionem quoque amplectitur dolores crurum explicans, quibus infestari solent scorbutici; ibidem enim non modo eos repetit ab humoribus serosis, qui extra venas effunduntur, & crurum musculis, ac nervis se se insinuant, sed etiam a vaporibus, qui a capite via declivi descendunt. Quæ etsi fortasse apud Veteres nimis accepta fuerit opinio, de distillatione nempe a cerebro prodeunte, miror tamen, cur de ea vix fieri soleat mentio apud Neotericos. Sed quid dicam de iis doloribus, qui dimidiam lateralem corporis partem illæsa altera (§. 37.) afficiebant? An in cerebro caussa tunc aderat? An in medulla dorsi? An in opposita cerebri parte? An eodem in latere? Fateri sufficit, ab acri nervosum systema irritante hos ortum habuisse.

§. 92. Antequam ulterius progrediar, nonnullæ diluendæ sunt objectiones, quæ de cerebri, & spinæ sero hic fieri possunt. Primæ ab ipsius colore depromptæ respondeo, quod etsi morboso colore infectum minime fuerit (fuit tamen flavescenti sæpe præditum), non idcirco innoxium est censendum: *quando constat*, ut ait Morgagnus (a), *sales, qui maxime possint erodere, in aqua solutos hujus pelluciditati nihil officere.*

§. 93. Neque difficilis erit a quantitate petitæ objectionis solutio. Quamquam enim non semper serum enormi copia fuerit repertum, *non inde tamen mirabitur,*

(a) Epist. I. §. 3.

ut ait Morgagnus (a), *qui vel paucas acris humoris guttas in nervo aliquo restitantes magnas sciat distentiones nervorum efficere; neque enim ex mole* (b), *sed ex vi irritamenta æstimanda sunt*.

§. 94. Instare tamen quis posset, sanam ut plurimum cerebri substantiam inventam fuisse, ideoque minime concipi posse, quomodo illæso cerebro serum acredine tanta polleret. Verum huic respondet citatus Franciscus Gennari, dum ait; *se il siero pecca soltanto d' una straordinaria acrimonia, può cagionare de' mali fatalissimi al cervello, senza che dopo morte si possa nel medesimo riscontrare la menoma alterazione*.

§. 95. Verum, urgebis, si lympha universale nervorum systema alluens acredine inficitur in pellagrosis, cur nonnulli præprimis afficiuntur nervi, cæteris illæsis? Cur v. gr. scelotyrbe est adeo frequens, & rara epilepsia? Nonne eadem est omnium nervorum natura? Sed objectio hujusmodi facile corruit, si ea, quæ Tissotius (c) de acrium humorum in nervos effectibus disseruit, attendantur. Ipse enim ait, ab acri humore varia, & diversa produci posse phænomena juxta diversum acredinis ingenium (*suivant les caracteres de l' acretè*), diversamque partium dispositionem (*suivant la differente receptivité des organes*). Sua enim cuique acredini inest indoles; sua cuique corporis parti dispositio; ideoque nil mirum, si pellagrosa acrimonia determinatos edat effectus.

§. 96.

(a) Epist. IV. §. 27.
(b) Epist. X. §. 5.
(c) Traité des nerfs, & de leurs maladies Chapitr. VIII. Art. X. §. 64.

§. 96. Concludendum igitur est, serosum illum humorem, quo cerebrum, spinalis medulla, & nervi omnes naturaliter alluuntur, morbosa qualitate in pellagrosis infici. An spiritus etiam animales in hujusmodi morbo acre possident ingenium? Sennertus (a), Homius (b), Boerhaavius (c), Ern. Platnerus (d), Tissotius (e) spiritus etiam nerveos perversa mixtione, sive variis acredinum generibus peccare posse consentiunt. Verum subtilitatibus hisce posthabitis ad utiliorem properandum est disquisitionem, cujus nempe naturæ sit pellagrosa acrimonia.

§. 97. Acescens, alcalescens, muriatica, & ammoniacalis præcipuæ sunt, quæ Boerhaavio duce apud Pathologos principatum obtinuerunt, acrimoniæ; at si ab observatione magis, quam a theoria pendeamus, plures humani corporis humoribus sæpe insunt acredines, quæ nondum ad Chemiæ leges redigi potuerunt, quæque cum sui generis sint, nullam, vel tantum empiricam curationem admittunt. Ne igitur nostrum examen mancum, ac imperfectum alicui videatur, primo considerabimus, an acrimonia pellagrosa affinis sit alicui ex Boerhaavianis acrimoniis; secundo, an aliquid commune habeat cum aliqua ex aliis notis humorum dyscrasiis; postremo (ut saltem ab analogismo quidquam de ejus natura hariolari possimus), an apud Veteres, aut Neotericos morbus huic analogus reperiatur, perpendemus. Cujus indolis sit acredo pellagrosa.

§. 98.

(a) Med. pract. Lib. I. Part. I. Cap. 15.
(b) Princip. Med. pag. 28., & 30.
(c) Præl. de morb. nerv.
(d) Specim. citat. §. XXVI.
(e) Traitè des nerfs, & de leurs maladies Chap. VII. Art. 11. §. 11.

An acescens?

§. 98. Ex acido humore (ut ab acescente acrimonia initium ducam) facile irritamenta cerebri, nervorumque exurgere refert Boerhaavius (a), quod & Tissotius (b) satis superque confirmat. An igitur pellagræ morbus, in quo nervosum systema præcipue afficitur, humori acido tribuendus? Gherardini quidem, postquam remotas pellagræ caussas accuratissime investigasset (c), in pravo victu procatarticam, proximam autem in acrimonia acescentis naturæ reponendam esse opinatus fuit. Et re quidem vera si agricolæ, qui farinosis, & acescentibus alimentis perpetuo enutriuntur, pellagræ præ cæteris sunt obnoxii, pellagrosam acrimoniam acidam possidere naturam probabile videtur. Verum neque digestionis officina, neque sanguis, cæterique humores acidi præsentiam in pellagrosis satis comprobant. Acida enim acrimonia producit præter cetera ructus acidos, sudorem acidum, salivam acidam, corporis frigus, & pallorem; pellagrosis contra saliva sapore sæpe muriatico inficitur, sudor peculiari odore donatur, floridus sæpe servatur color, variæque corporis partes ardore cruciantur. Sed hisce omissis cur, si in pellagra acida dominatur acrimonia, cur inquam eadem laborantes in Nosocomio ad longum tempus detenti sensibile non sentiunt ex animali victu levamen? Cur æstate, dum motu valido exercentur agricolæ, acida humorum indoles non tollitur? Cur minime pellagrosis profuere aci-

---

(a) Aphor. 64.
(b) Traitè des nerfs, & de leurs maladies Chap. VIII. Art. X. §. 70.
(c) Della Pellagra Descrizione di Michele Gherardini Medico Soprannumerario dello Spedal Maggiore di Milano.

acidum absorbentia, & immutantia, ut aqua calcis, ol. tart. per deliq., sal. alcalin. absinth., etc. (Historia XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XLI. XLII. XLV. XLIX. LIV.).

§. 99. Neque ex eo quod pertinaces diarrhœæ, ecchymoses, febres calidæ, sudores colliquantes, caloris molesti sensus sæpe adsint in pellagrosis, inde deduci potest, alcalescenti proximam esse hujusmodi acrimoniam. Nam concipi non posset, cur agricolæ, qui solo vegetabili alimento enutriuntur, præ cæteris sint pellagræ obnoxii, cur vere potissimum sæviat hic morbus, cur acida sensu non prosint. Quod si sanguis eductus laxæ ut plurimum fuerit compagis, id humorum tantum imminutam cohæsionem, non vero humorum putrescentiam denotat; alia enim est simplex, alia alcalescens humorum dissolutio. An saltem in postremo pellagræ gradu ad alcalescentiam humores proni sunt? Plurima adsunt ad id argumenta. Num alcalescens?

§. 100. Examinandum nunc venit, utrum pellagra muriaticæ saltem acrimoniæ sit proxima. Sic opinari videtur Albera, dum verbis Chemiæ parum consonis (a) ait: *La qualità di codesti sali si riduce da me ad una acrimonia di sal marino neutra muriatica*; quamquam alibi (b) proximam pellagræ caussam in salis copia reponat, *la natura del quale al neutro ammoniacale s' accosta*. Extravasationes liquorum non cito putrescentium, sed maculas Num muriatica?

(a) Trattato teorico-pratico delle malattie dell' insolato di primavera, volgarmente dette della pellagra, del Medico Fisico Gio. Maria Albera. Varese 1784. pag. 57.

(b) pag. 138.

culas producentium, prurientes papulæ, herpeticæ eruptiones, porrigo, tendinum rigiditates, bulimia, ptyalismus, acer seri tenuitas plurimos quidem præbent probabilitatis gradus, muriaticum quid pellagrosorum humoribus inesse, præsertim cum sapor ille, quem sæpe sentiunt pellagrosi, illi simillimus sit, qui percipitur a sale culinari. Verum plurima adhuc huic obstant opinioni. Etenim cur desquamatio pellagrosa erysipelatosam sæpe induit naturam, si muriatica acrimonia pruriginosas ut plurimum excitat cutis affectiones? Cur morbosa siti raro pellagrosi laborant, si sitis ingens muriaticæ acredinis individuus est comes? Præterea neque ratio reddi posset, cur spasmi, & vesaniæ sint adeo frequentes, cur dolores nervosi systematis cursum sequantur, cur febris, ardorisque molestia adeo frequenter occurrat.

An ammoniacalis? §. 101. An igitur in pellagræ morbo sal marinum novum aliquod connubium init vel cum attenuatissimis oleis, vel cum aliqua alcali volatilis parte, unde volatile quid, & ammoniacale adipiscatur? Multa quidem in pellagra reperiuntur, quæ hujusmodi favent opinioni; prout enim in ammoniacali acrimonia acidum evolvitur, vel alcali, diversa in corpore contingunt phænomena: unde facilius forte redderetur ratio de erysipelatosa desquamatione, de febribus, de caloris sensu, deque plurimis aliis pellagræ symptomatibus. Verum, si hypothesibus relictis de instituto experientiam consulamus, fatendum est, ea, quibus ars medica muriaticæ, & ammoniacali acrimoniæ medetur, præsidia, ut aqua, & calcis vivæ lixivium, minime satis intentioni fecisse. Licet enim ex hisce auxiliis nonnulli melius

lius habuerint, & aliis sapor, quem querebantur, muriatico similis fuerit imminutus; non is tamem sum, qui eorum perfectam jactitem curationem. (Histor. II. V. XIX. XXVIII. XXXVIII. XLIV. XLV. LIV.)

§. 102. Gorterius, ut alias jam annotavimus (§. 81.), a materie perspirabili retenta duplicem acrimoniæ speciem oriri opinatur, quarum una alcalescentis est naturæ, ad acidum altera vergit. Prima (a), cui præbent originem mora, æstas, calor externus, autumnus, motus violentus, inedia, nimia lactatio, *calida* ab eo dicitur, eo quia calidas ægritudines, lassitudines, febres, erysipelata, & podagram generat, calefacit interna viscera, calorisque molestiam infert. Hæc omnia cibo, & potu nimio occultantur, manifestantur vero post inediam, & evacuationes. Duplex acrimoniæ species a retenta perspiratione juxta Gorterium.

§. 103. Quod si contra perspirabilis materies in humorem crudum, viscidumque degenerat (b), corpus fit onerosum, & grave, & ægri fiunt mœsti, ac timidi. Humor autem hic liquefactus, & acerrimus redditus alteram constituit acrimoniam (c), quæ *frigida* appellatur, cum inde corpus quodammodo frigescat, quæque fœminas, valetudinarios, morbos chronicos diu passos, & evacuationibus exhaustos præ cæteris adoritur. Hæc autem eadem fere ut scorbutus generat symptomata, omnisque fere morbi genera simulat. Et quidem, acredine hujusmodi succo nervoso inquinato, dolores cursum mirabilem nervorum hinc inde sequuntur, a capite

 præ-

(a) De perspiratione insensibili pag. 48., & 133.
(b) Ibid. pag. 136.
(c) pag. 50.

præprimis deorsum versus juxta spinam dorsi descendentes. Quod si deponatur ad glandulas excretorias, ingens sæpe excernitur humoris acris copia vel per alvum, vel per glandulas salivales, eodem modo ac si mercurius applicatus fuisset. Hæ sunt præcipuæ a perspiratione retenta teste Gorterio acrimoniæ, quibus utrum pellagra conveniat nunc est examinandum.

An calidæ Gorterii acrimoniæ pellagra sit affinis?

§. 104. Lactationem pellagræ quodammodo conferre jam diximus (§. 75.); ardoris sensus, febres, erysipelata inter pellagræ symptomata enumerata fuere; pellagræque morbum cibo, & potu aliquamdiu occultari fatendum est. An igitur pellagra non longe a calida Gorterii acrimonia distat? Sed, ut cæteras, quæ intercedunt, diversitates omittam, cur quæso pellagræ morbus primo vere sævit, & sæpe autumno conticescit? Curationis ejusdem, quam Gorter ad calidam præcipit acrimoniam, exemplum videatur in Historia XXXV.

An frigidæ?

§. 105. An autem frigidæ acrimoniæ, quam frequentissimam in sua regione observavit Gorter, pellagræ morbus æquiparari posset, perpendenti plurima mihi primum visa est similitudo. Et quidem nonne pellagra eadem fere ut scorbutus generat symptomata? Nonne ptyalismus, & diarrhœa frequentissima sunt ejusdem symptomata? Quod si cætera, quæ pellagræ sunt, convulsivi præprimis motus, & dolores, perpendantur, eo magis in opinionem adducimur, plurimam pellagram inter, & frigidam Gorterii acrimoniam intercedere similitudinem; mirabiles enim æque sunt in pellagrosis motus convulsivi, dolores æque mirabilem nervorum cursum sequuntur, a capite præ primis juxta spinam dorsi de-

scen-

scendentes. En vero præcipuas, quæ intersunt, quæque vetant, quominus invicem æquiparentur, differentias. Frigida acrimonia nullum, vel valde exiguum calorem excitat, & frigoris sensu stipantur ii, quos generat, dolores; ardor contra frequentissimum est pellagræ symptoma. Neque sensibiliter pellagrosis eadem profuere auxilia, quæ Gorterio sæpissime optimum præbuere successum, alcalia scilicet, stimulantia, antiscorbutica, & diaphoretica (Histor. X. XXXVII. XXXIX. XLI. XLII.).

§. 106. Utrum scorbuto proxima sit pellagra nunc est videndum. Andreas Magistrelli (Cadav. XIII.), Antonius Lampugnani (Histor. IX.), Nicolaus Masetti (Histor. XXVIII.), Carolus Pagani (Histor. XXX.), Jacobus Borsani (Histor. XXXI.), Constantia Cattanea Histor. L.), Martha Basilica (Histor. LII.) talia quidem præbebant symptomata, ut nullum de scorbuto superesset dubium. Verum observationes istæ (objicere quis posset) pellagram in scorbutum degenerare posse tantum ostendunt, quod chronicis quibuscumque morbis commune observatur, non vero pellagram ipsam scorbuticam quamdam humorum dyscrasiam præseferre satis demonstrant. Ut igitur pateat quænam analogia intercedat, generalia pellagræ symptomata cum ipsius scorbuti symptomatibus sunt comparanda. Severinus Eugalenus, qui accuratissime ea omnia, quæ scorbutum comitari solent, recensuit, quique plurimis cæteroquin præstantissimis viris quoad hujus morbi descriptionem anteferendus videtur, utpote qui iis in locis, ubi familiarissimus est, medicinam fecit, plura se refert observasse, quæ pellagrosis quoque conveniunt. Talia sunt lassitudo corporis

An pellagra scorbuto sit proxima?

 spon-

spontanea, pulsus debiles, paralyses inferiorum præsertim extremitatum, tremor, convulsiones, membrorum contracturæ, delirium, tristitia, amnesia, frequens sputatio, alvi fluxus, color labiorum ex pallido in fuscum vergens, sudor gravem redolens odorem, sitis fere nulla, erysipelatosæ eruptiones, febres nullum typum servantes; quæ omnia inter pellagræ quoque frequentissima symptomata enumeravimus. Neque scorbutici dolores, quos ipse describit, longe distant a pellagrosis. Is enim refert, scorbuto laborantibus sæpe pedes, suras, genua, & crura dolere; quosdam continuis nuchæ, lumborum, coxendicis, & ventris doloribus infestari, alios variarum corporis partium vellicationes, ac lancinationes percipere.

§. 107. Neque ex eo, quod pellagrosorum gingivæ sanæ ut plurimum apparent, nullam hinc intercedere affinitatem est deducendum. Nam etsi Lindius (a) signum scorbuti pathognomonicum in gingivarum vitiis constituat, Sennertus tamen ductu Eugaleni nullum hujus morbi characteristicum symptoma statuit, sed eum nosci a plurium symptomatum congerie palam fatetur. *Neque enim*, ait ipse (b), *ii saltem scorbuto laborare dicendi sunt, quibus crura maculis pinguntur, gingivæ corrumpuntur, dentes vacillant; sunt enim hæc jam ingravescentis tantum mali signa, & homo malum hoc diu circumferre potest, etsi nihil tale appareat. Et non raro accidit, ut homo prius hoc morbo e medio tollatur, quam ipsi gingivæ exulcerentur, aut maculæ in cruribus emergant.*

Cons-

(a) Tract. de scorbuto Part. II. Cap. II.
(b) Med. Pract. Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. III.

Ma perchè gli autori posteriori desumendo i ragionamenti dello Strambio umorista più per rispetto che per persuasione non hanno progredito oltre la meta?

Constat igitur pellagram non longe a scorbuto discedere quoad symptomatum concursum.

§. 108. Nunc videamus utrum quædam intercedat analogia inter remotas caussas scorbuti, & pellagræ. Domicilia humecta, murorum humidam exhalationem, exercitium, & motum intermissum, blandi nutrimenti, & insensibilis perspirationis defectum plurimum ad scorbutum conferre testantur Sennertus (a), Lindius (b), Macbridius (c), Haenius (d). An hæc quoque ad pellagræ generationem faciunt? An ideo pellagra inter agricolas potissimum sævit, eo quia domicilia humiliora inhabitant, desides hyemem transigunt humidissimis in stabulis collecti, pravo ut plurimum nutrimento aluntur, eaque omnia, quæ ad salubrem perspirationem servandam requiruntur, negligunt?

§. 109. Hæc omnia sufficiunt, ut scorbutum inter, & pellagram quædam elucescat similitudo. Dixi *quædam*, cum probe noscam, plurimas etiam intercedere diversitates. Et re quidem vera, ut cætera omittam, scorbutus contagio, pellagra hæreditate propagatur. Humor scorbuticus nervoso generi molestus est quidem, nervosa tamen symptomata, & deliria pellagrosa a scorbuticis differunt. Maculæ scorbuticorum crura potissimum fœdant; pellagrosis contra in brachiis, & facie efflorescunt. Urina scorbuto laborantium, teste Eugaleno, turbida est, rubicunda, & fæculenta; pellagra detentorum tenuis ut plu-

(a) Med. Pract. Lib. III. Part. V. Sect. II. Cap. 3.
(b) Tract. de scorb. Part. II. Cap. 1.
(c) Essais d' experiences IV.
(d) Rat. Med. Part. VIII. Cap. IV.

plurimum, & pallida. Scorbutici ulceribus sæpe fœdantur; in pellagrosis cuticula tantum vitiatur, intactis subjectis partibus. Facies a scorbuto fit pallida, & livida; in pellagra ~~semper~~ sæpe nativus color servatur.

§. 110. Sed, hisce omnibus posthabitis, certum est, sola antiscorbutica remedia minime ad pellagræ morbum eradicandum sufficere. Etsi enim plurimum ex horum tam interno, quam externo usu ægri profecerint (Histor. IX. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. L. LII.), attamen morbus omnino non desiit. An igitur pellagra est quædam scorbuti species nondum determinata? Willisius, Charletonus, Boerhaavius, aliique quamplurimi varias admittunt scorbuti species, prout diversa acrimonia in humoribus prædominans videtur, ideoque alium dicunt scorbutum muriaticum, alcalicum alium, alium acidum. Verum ab hac opinione nonnulli recedunt, inter quos Lindius, Addingtonius, Haenius, & Macbridius primum tenent locum; qui omnes unicam tantum scorbuti speciem, in peculiari fluidorum putrefactione reponendam, reperiri ex eo potissimum colligunt, quod in omni scorbuto vegetabilia indiscriminatim prosint, sive calida sint, sive frigida, sive acida, sive alcalescentia, sive utraque mixta. Non is sum, qui hanc velim controversiam dirimere; dicam tantum, insipida olera æque ut nasturtium, & mali medici succum pellagrosis stomacace detentis mire profuisse.

§. 111. Hæc de pellagræ cum scorbuto analogia. Antequam ulterius progrediar, notandum est Whytteum (a),

&

(a) Traité des maladies nerveuses Tom. I. §. LVII.

& Tissotium (a) humorum quamdam dyscrasiam, scorbuticam improprie dictam, inter frequentissimas morborum nervorum causas enumerasse, quæ variis cutis affectionibus manifestatur. An hujusmodi acredini referenda est ea, quæ pellagram constituit? Ut ea, quæ interest, differentia elucescat, consulantur citati Auctores.

§. 112. An saltem morbi huic nostro analogi apud Veteres extat descriptio? Nullibi quidem pellagræ morbum saltem apud eos, quos pervolvi, Auctores recte descriptum invenire potui; licet enim plures cutis affectionum descriptiones reperierim, quæ reapse a pellagrosa desquamatione non admodum distant, numquam tamen mihi contigit illam symptomatum syndromen, eorumque accidentium agglomerationem, quæ pellagræ morbum sola constituit, descriptam reperire.

An apud Veteres morbi pellagræ analogi extat descriptio?

§. 113. Arabum lepra, sive elephantiasis Græcorum (ut ab omnium truculentissimo incipiam) nil certe exhibet, quod aliquam cum pellagra affinitatem habeat. Adsunt quidem aliquando & in pellagra digestio facilis, & prompta, labiorum oris, & manuum rhagades, narium obturatio, vox nasalis, oculi lacrymosi, quæ tamquam elephantiaseos symptomata ab Aretæo commemorata sunt. Sed neque tuberculosam vultus fœditatem, neque lotium jumentosum, neque summam salacitatem, neque capillorum, pilorumque defluvium, neque cætera, quæ herculeo illi morbo conveniunt, in pellagrosis unquam vidi.

§. 114.

(a) Traité des nerfs, & de leurs maladies Chap. XIII. Art. II. §. 102.

§. 114. Idem dicendum de Hebræorum lepra; illæ enim, quæ apud Sacros Codices (a) leguntur, lepræ differentiæ a nostra pellagra toto differunt cœlo. Quod si Archigenem apud Aëtium (b) Græcorum lepram describentem consulamus, nil ibi reperiemus, quod nostro conveniat morbo. Quod de Celsi (c) impetigine, & omnibus quotquot extant cutis morborum descriptionibus apud Veteres dictum volumus. Si enim cutis desquamationem seposueris, quæ alicubi non longe a pellagrosa absimilis descripta invenitur, nil aliud, quod cum pellagra consonet, invenies. Ut autem morborum similitudo elucescat, non unum, sed præcipua symptomata invicem conveniant necesse est. Verum, inquies, pellagra squamulas in cute excitat, ideoque ad leprosos, sive impetiginosos referenda est morbos. Id fieri per me liceat, dummodo lepræ, sive impetiginis peculiaris species minime a Veteribus descripta constituatur.

Pellagræ epoca.

§. 115. An igitur pellagræ morbus ab omni extitit ævo? Quæ me docuit experientia in medium afferam. Joannes Vimercati (Cadav. V.) narrabat, matrem suam sexaginta abhinc annis pellagrosam periisse. Ab annis quadraginta pellagrosam matrem quoque obiisse referebat Magdalena Lovera (Histor. LV.). Innocentius autem Monticelli (Histor. XII.) a quadraginta quinque patrem pellagra extinctum meminit. Ergo pellagræ morbus non ita recens est, ut putant nonnulli. An igitur antiquissimus

simus

(a) Levitic. Cap. 13., & 14.
(b) Tetrab. 4. Serm. I. Cap. 134.
(c) Lib. 5. Cap. 28.

simus habendus ? Si senioribus fides sit, præteritis annis paucissimi pellagra ægrotabant, sensimque numerus ea laborantium increvit.

§. 116. Perpendendum nunc superest, utrum nostris hisce temporibus etiam extra Mediolanense territorium ullus morbus pellagræ nostræ similis reperiatur. Raymundus (a), qui plurimas elephantiaseos, & lepræ species apud varias regiones nostra ætate suam adhuc exercentes tyrranidem breviter describit, nullam quidem refert, quæ pellagræ possit æquiparari, si lepram Asturiensem excipiamus. Hæc enim juxta descriptionem traditam a Thiery apud Vandermonde (b) plurimam quidem cum pellagræ morbo præbet affinitatem, non modo quoad cutis affectionem, verum etiam quoad cætera symptomata. Quod si nonnullæ intersint differentiæ, non eæ mihi videntur, ut morbi naturæ diversitatem demonstrent. An idem de scorbuto alpino ab Odoardi Medico Belunensi descripto (c) dicendum ? An de aliis alibi nuperrime factis observationibus ? Judicent alii. Scribo in aere Mediolanensi.

An extra Agrum Mediolanensem pellagra observetur ?

§. 117. Si igitur neque acescens, neque alcalescens, neque muriatica, neque ammoniacalis haberi certo potest acrimonia pellagrosa, si a scorbutica, aliisque humorum notis dyscrasiis distat; si nullus apud Veteres morbus similis reperitur descriptus, quænam, quæso, hisce in tenebris facem præferent ? An caussa pellagræ pro-

(a) Histoire de l'Elephantiasis.
(b) Journ. de Med. May. 1755.
(c) Diss. d' una specie particolare di scorbuto 1776.

proxima *in humore atrabilario, vel melancholico, & consequenter in abdominalium viscerum obstructionibus* est constituenda? Sic opinari Auctorem Dissertationis cujusdam, cui titulus *Nil sub sole novum*, humanissime mihi retulit Anonymus; hujusmodi enim Dissertatio in lucem nondum edita a me legi minime potuit. Opinionem hanc, etsi dirutis Galenicæ Scholæ fundamentis superstructa primo videatur intuitu, attamen nullo occupatus partium studio perpendi, expendi, ad trutinam revocavi; quin immo in ipsis ægris mihi in hoc Nosocomio commissis eamet remedia tentavi, quæ atræ bili præparandæ, atque eliminandæ dicata olim fuere. Quid autem sentiam, quisque fuerit curationum exitus, alia quamprimum Superis faventibus elaboratiore tradam Dissertatione; nondum enim absolutæ sunt Historiæ, nondum observationes completæ. Sufficiat nunc ea curationum tentamina, quæ in relatis Historiis expertus sum, summatim perstringere.

ARTICULUS IV.

Curationum tentamina.

§. 118.

TAntam particularium observationum copiam congerere, quanta ad vera deducenda axiomata sufficeret, Baglivio duce, mihi præcipua mens fuit. Quod spectat ad curationem, cum minime me lateret eradicativam fieri non posse, ni prius perspecta ejusdem caussa haberetur, symp-

symptomaticam primum consulto institui; antequam enim maxima tentarentur remedia, vera, & graphica morbi historia erat perficienda, in qua summum medicinæ fundamentum consistit. Temporis progressu, postquam sufficientem particularium copiam collegissem, cœpi varia tentabundus experiri remedia, ut saltem a lædentibus, & juvantibus aliquid elucesceret; unde acida, alcalina, antimuriatica, antiscorbutica, verbo omnia, quæ ratio, analogismus, amicorumque consilia suggerebant, periclitatus sum. Quæ autem deduci possint Corollaria, candidus hic referam.

1. Oxycraton, calcis lixivium, & aqua, in qua prius marinum, vel ammoniacum sal solutum fuerat, lotionis forma æque manuum pellagrosam abstulerunt fœditatem, ac ipsum serum lactis, & sola aqua tepida. Quin imo sæpe contigit, ut iis, qui pellagrosa desquamatione horridi ingressi fuerant Nosocomium, brevi omnia evanuerint externa pellagræ vestigia sola umbratili vita absque ullo topico remedio.

2. Cortex peruvianus, qui febres intermittentes in pellagrosis optime profligavit, nil profuit in ea, quæ non raro pellagra laborantes vexat erratica febri.

3. Extractum hyoscyami, camphora, china china, radix valerianæ, flores arnicæ, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, aliaque antispasmodica virtute prædicata remedia in variis spasmorum generibus, quibus pellagrosi corripiuntur, vix ullum sensibile tulerunt levamen. Narcotica profuere aliquando. Linimentum ex oleo lumbricorum, & succini partes crampo vexatas optime delinivit

4. Hydrogala, ptisana hordei cum lacte, decoctum radicis chinæ dulcis lacte quoque commixtum, tabellæ mucilaginosæ, aliaque vi prædita demulcenti in chronica pellagrosorum tussi plurimum profuere. Cæterum hisce incassum tentatis non raro pessima phthisis supervenit, in qua diæta lactea, balsama nativa, herbæ vulnerariæ, saccharum rosaceum, lichenis islandici infusum, fonticuli subaxillares perniciem evitare non potuerunt.

5. Absinthites, vinum martis limatura medicatum, china china, frictiones universales, balneum frigidum in summa juvere debilitate. Oleum æthereum terebinthinæ cum salviæ extracto (quod mihi vir summus tentandum proposuit) vim nerveam quidem excitavit. Flores arnicæ, quorum antiparalytica virtus mihi satis non constitit, non raro detrimentum attulere. Ad genuum contracturam linimentum ex oleo lumbricorum, & spiritu salis ammoniaci optime feliciterque cessit.

6. Camphora, extractum aconiti, stipitum dulcamaræ decoctum in pellagræ doloribus sensibiliter non profuere. Lotiones diaphoreticæ pedum ardorem imminuerunt. Moxa Ægyptiorum dolorem dorsi mitigavit, & gravior subsecuta est extremitatum inferiorum paralysis.

7. Opium, camphora, & aqua gelida deraso capiti imposita delirium minime sedarunt. Cucurbitulæ dorso, & hirudines temporibus applicitæ non raro cerebri minuere molestias. Venæ sectio parca manu celebrata in nonnullis profuit circumstantiis; liberaliter autem instituta semper nocuit.

8. Leni rhabarbari, & myrobalanorum dosi præmissa, narcotica, & obvolventia diarrhœam sæpe inhibuere. At

ali-

aliquando ita pertinax fuit, ut tonica, adstringentia, & specifica omnino fuerint inutilia.

9. Epispastica, cauteria, & omnia, quæ revellendi virtutem possident, optimum habuere successum, ubi visceri alicui labes incumbebat. Hæc de tentata symptomatum curatione, nunc de cæteris, quas periclitatus sum, medendi methodis.

10. Jus viperinum in quatuor pellagrosis tentatum semel tantum visum est profuisse.

11. A chermes minerali refracta dosi ad 20. dies exhibito pellagroso cuidam, gingivæ scorbuticæ factæ sunt, & æger pejus habuit.

12. Acida, alcalica, & antimuriatica remedia, ut spiritus vitrioli, oleum tartari per deliquium, sal. absinth. alcal., victus animalis, aqua calcis, & aqua communis *a passare*, cum sensibiliter neque profuerint, neque nocuerint, rem in medio reliquerunt.

13. Methodus, quæ in acrimonia frigida optimum Gorterio præbuit effectum, ex alcalicis nempe, aromaticis, & sudoriferis composita, certam non attulit in pellagræ morbo medelam. Quod de succo nasturtii cum melle, & oculis cancrorum, deque pini summitatum decocto dictum etiam volumus; quorum primum tamquam utilissimum in pellagrosis remedium experientiæ innixus commendabat Medicus Triviliensis summa, cum viveret, necessitudine mecum conjunctus; alterum autem mihi quoque vir summus proposuit.

14. Insipida olera, fumaria, acetosa, succus mali medici, raphanus, nasturtium, cochlearia indiscriminatim exhibita mirum quidem attulere levamen in iis pellagrosis,

qui

qui præter cætera stomacace laborabant ; at morbus integre sublatus non fuit .

15. Serum lactis radice lapathi, herbisque antiscorbuticis alteratum sæpe quidem profuit, at numquam morbum radicitus exstirpavit.

16. Idem dici potest de tepidis balneis domesticis, quorum usus tantopere a Nostratibus prædicatur. Hæc enim quamquam non raro utilitatem attulerint, morbum tamen minime eradicavere. Nec mirum; *humores* enim, ut ait Lorry (a), *a balneis non immutantur, & habitum, quem inducunt illa, ut ut mitiorem, non tamen curationem appellare possumus*.

17. Neque cætera, quæ perspirationem juvant, sudoresque eliciunt, remedia, ut frictiones extrinsecæ, ac radicum sarsaparillæ, bardanæ, chinæ dulcis, lignorumque decocta pellagræ morbum tollere valuerunt.

18. Quoad victus rationem etsi cibus analepticus, & vinum meracum vires eorum optime refecerint, qui inedia confecti Nosocomium ingrediebantur, sæpe tamen morbus etiam in pellagrosis optimo cibo enutritis invaluit. Id clare ostendunt ii, quos ad multum tempus consulto in hoc Nosocomio detineo; licet enim vitulina carne, panatellis, ovis, pane triticeo, & vino (quæ communem nostrorum ægrotantium victum constituunt) enutriantur, nihilo tamen secius suam exercere tyrranidem morbus non desinit, ut patet ex Historiis.

§. 119. Quid igitur concludendum? Quænam quæso, ex tot tantisque curationum methodis excelluit? An ii, qui

(a) Tractatus de morbis cutaneis pag. 146.

qui apparentem sanitatem potiti e Nosocomio egrediuntur, eradicative curati dicendi sunt? Non is sum, qui perfectas jactitem pellagræ curationes; licet enim plurimi nullum amplius salutis incommodum conquerentes hinc discesserint, non ita tamen morbum in iis sublatum affirmo, ut nulla de latente angue suspicio supersit. Pellagram non raro menses, & annos delitescere, ii præ cæteris evincunt, qui, postquam e nostro Nosocomio sanitati apparenter restituti abiissent, huc iterum reviviscente morbo se contulere. Hinc fit, ut ægros meos, etsi hilares hinc discedentes sæpe sanos, & incolumes se efferant, nunquam perfectæ sanitatis spe lactare soleam, nimiæ ingenuitatis insimulari malens, quam agyrtæ nomine derideri.

§. 120. Nihil igitur quicquam, forte quis inquiet, de pellagræ natura pro certo potest affirmari? Ad morbum hunc eradicandum nondum statui possunt indicationes? Incassum omnino tot mensium spatio patrata sunt pericula? Seposita quacumque philosophica hypothesi pellagræ phænomena clara, ac naturalia accuratissime annotavi; perpetua ab accidentalibus distinxi; verbo eam, quæ desiderabatur, graphicam, & naturalem, quoad fieri potuit, morbi descriptionem tradidi. Hæc autem Anglo Hippocrate referente *omnem æstimationem excedit, & præ ea argutiolæ, & subtiles disquisitiones, quibus Neotericorum libri ad nauseam fere inferciuntur, nullo in numero sunt habendæ*. Neque inutiles cæteri fuerunt conatus; etsi enim felicem non attigerim metam, saltem aliis stravisse viam gloriabor.

APPENDIX.

De quadam Lichenosa cutis affectione in Agro Mediolanensi frequentissima.

NE forte pellagra cum alia cutis affectione hisce in regionibus frequentissima, quæ generico vocabulo a nostratibus *Salsedine* appellatur, ab incautis confunderetur; optimum duxi breviter hic eam describere, ut pateat quænam invicem intersint differentiæ. Dorsum quidem manuum in hac etiam epidermide spoliatur, sed in determinato spatio figura sæpe circulari id accidit. Circuli hujusmodi, qui lichenosam quamdam, & herpeticam naturam affectant, brachia etiam, & faciem non raro occupant; quin immo tanta est aliquando eorum propagatio, ut nulla fere corporis pars illæsa videatur. Præter hæc rimis turpiter hiant manus, & ungues in album cornu excrescentes præ nimia asperitate, & exsiccatione frustillatim decidunt.

Quisque igitur palam videt, quantum a pellagrosa desquamatione differat cutanea hujusmodi affectio. Illa enim nudatas partes tantum adoriens vita umbratili tollitur; hæc partes etiam tectas afficit, & minime insolatas. Illa universum manuum dorsum occupans ardore erysipelatoso ut plurimum stipari solet; hæc partialiter hinc illinc prorumpens nullam sæpe excitat molestiam Illi raro manuum scissuræ accedunt, & ungues sanis sunt similes; huic rhagades frequentissimæ sunt, & unguium perpetuum vitium. Præterea pellagrosa desquamatio vere erumpens cæteris anni temporibus ita sæpe evanescit, ut pel-

pellagra laborantes nonnisi ab internis symptomatibus noscantur; lichenosa contra quamquam vernali præprimis sæviat tempore, toto tamen anno efflorescere pergit. Addendum his est, quod ii, quibus pellagrosa oritur desquamatio, serius ocyus in vitæ discrimine versantur; qui contra lichenoso-herpetica affectione turpantur, sæpe fœditatem tantum incusantes ad extremam usque senectutem perveniunt.

An cutis hoc vitium, quod a parentibus in filios propagari me docuit experientia, ab eadem humorum acrimonia provenit, ex qua pellagra originem ducit? An saltem non longe dissimili? Observationem de more consulamus.

HISTORIA I.

JOannes Antonius Mariazzi oppidi *Legnano* ann. 54. sanguineo præditus temperamento ingressus est hoc Nosocomium die 1. junii anni 1784. vertigine, asthenia, ptyalismo, salino oris sapore, & frequenti emprosthotono laborans. Manuum dorsus sejuncta epidermide rubebat; digiti rhagadibus findebantur; ungues asperi, & sicci albescebant; prurientes papulæ vultum hinc illinc præsertim in fronte occupabant; abdominis integumenta crassa nimis videbantur, & fere coriacea.

Per dies 15. sumpsit quovis mane lib. j. ÷ seri lactis fumaria alterati; dein per dies 20. balneum tepidum ingressus est. Plurimum inde expertus est levamen, unde die 25. julii domum petiit.

Bene se habuit usque ad mensem februarium anni subsequentis 1785., quo morbo reviviscente huc iterum fuit acceptus. Limpidus humor salivalis ubertim ex ore fluebat; sapor oris ei erat muriaticus; ob extremitatum inferiorum debilitatem nutans progrediebatur, & sæpe antrorsum tractus corruebat humi.

Primum jussi, ut linteola aqua calcis madida bis in die manibus applicarentur, quod brevi effecit, ut omne evanesceret earum vitium.

Experturus autem, an eadem intus sumpta saltem saporem oris tolleret, quem sali marino simillimum æger experiri referebat, præscripsi, ut ejusdem aquæ unc. vj. mane, & totidem sumeret vespere. Et re quidem vera paucorum dierum spatio evanuit sapor, & desiit ptyalismus.

Perrexit calcis aquam eadem dosi sumere per dies 24.; postea per totidem tepidis usus est balneis; tandem mense julio hinc bene valens discessit.

Quæ intus conquerebatur æger, pellagræ morbo sunt quoque communia; at quæ extrinsecus præbebat, longe distant. An hæc pellagræ peculiaris est species? An potius pellagræ cum lichenosa affectione complicatio? Duplici quidem fœdari desquamationis specie ipsemet æger referebat, una vere tantum erumpente, altera totius anni decursu perdurante. Prima erysipelas mentiens universum manuum dorsum ei occupat; in altera cutis aspera, & rugosa, profundisque scissa rhagadibus hinc illinc circulari figura cuticula spoliatur.

HIS-

HISTORIA II.

AMbrosius Girotti ann. 62. loci *Villastanza* bono corporis habitu donatus ab annis quatuor sequentia patitur. Manus, & brachia circulis lichenoso-herpeticis vitiantur; digiti scissuris finduntur, unguesque asperi exsiccantur. His, quæ toto anni decursu perdurant, vernali tempore adjungitur dorsi manuum erysipelatosa desquamatio; neque desunt dolor dorsi, aurium susurrus, & caduca vertigo.

Ex duabus præcedentibus Historiis deducendum videtur, pellagræ morbum cum lichenosa cutis affectione posse invicem complicari; quo forte factum est, ut inter pellagræ signa cutis asperitas, & unguium vitia relata a nonnullis fuerint.

Nunc ad eos considerandos, qui sola lichenoso-herpetica desquamatione fœdantur absque ulla pellagræ complicatione, nos convertamus.

Etsi plerique ex istis optima valetudine, excepta externa fœditate, fruantur; sunt tamen qui tussim, & vagos dolores sæpe recurrentes incusant, quique perpetua coryza afficiuntur; nec desunt, quibus majus incumbit periculum.

HISTORIA III.

CArolus Antonius della Bella oppidi *Busto* ann. 42., cujus mater obiit pellagrosa, quique cibis nimium piperatis, cæpis, & sale abutebatur, manus a juventute

herpeticis lichenibus fœdari sibi senserat, quibus temporis progressu correpta sunt brachia, axillæ, & scrotum. Cutis hujusmodi vitium, etsi vernali tempore præcipue sæviret, toto tamen anni decursu plus, minusve perdurabat, quin tamen æger sensibile salutis damnum experiretur.

1783. Autumno diarrhœa pertinacissima laboravit.

1784. Mense julio tussis cœpit eum vexare, & die 14. augusti mihi se se obtulit.

Ungues præ ariditate albescebant, & scindebantur; digiti rhagadibus hiulcabantur, & dorsi manuum epidermis non pellagrosorum more, sed in determinato spatio figura ut plurimum circulari separabatur. Circulis hujusmodi, qui limbo circumscripti erant rubello, & fundum herpeticum habebant, brachia etiam fœdabantur, axillæ, & scrotum; reliquæ autem corporis partes, facies præsertim, prurientibus papulis hinc illinc afficiebantur. Præter hæc sapor oris muriaticus erat; tussis aderat molesta, & sputum fluidum filatim prodeuns sæpe striis sanguineis erat inspersum.

Etsi allata cutis vitia a pellagrosa desquamatione toto distent cælo, attamen observationis gratia eum placuit in hoc excipere Nosocomio.

Post viginti balnea domestica sumpsit æger dierum quindecim spatio aq. calc. unc. viij., quibus lactis tantillum addebatur. Sapor salis in ore minutus est, & tussis mitior evasit.

Præscripsi postea decoctum e lignis sudoriferis tali pacto paratum.

℞.

℞. *Rad. sarsaparill. unc. j.*
—— chin. dulc.
Lign. sassafr. aa. drach. ij.
F. tepida infusio per noctem in aq. commun. lib. ij., dein bull. ad consumpt. tert. part. Colat. adde lact. vaccin. unc. jv.
Cap. mane, & diei decursu sumat bochetum.

Continuatum hoc fuit per dies 8., quibus elapsis, cum æger neque tussi, neque sapore muriatico, neque corporis prurigine amplius molestaretur, discessit, nonnullis adhuc in vultu manentibus papulis.

HISTORIA IV.

CAupo vino abutens annorum circiter 45. a juventute manus lichenibus fœdas gerit cum unguium ariditate, & & scabritie; quovis autem vere tanta est horum propagatio, ut brachia, facies, & denique totum corpus circulis lichenoso-herpeticis occupetur. His non obstantibus optimo, & forti habitu donatur, nil unquam passus, si frequentem excipiam vertiginem, qua vere præterito corripiebatur.

HISTORIA V.

PUella florido colore donata Cauponis antecedentis neptis, cujus pater lichenosas quoque gerit manus, jam inde a pueritia lichenibus herpeticis brachia occupantibus affi-

afficiebatur, & ungues facti fuerant scabri, & aridi. Nullum inde salutis damnum obortum est usque ad annum 1785. ætatis suæ decimumquintum, quo paullulum desipere cœpit, vertiginem, dorsique conquerens dolores.

Præter exempla hæc lichenosum vidi, qui frequenter imi dorsi dolorem querebatur, & alterum qui ischade nervosa postica Cotunnii laborabat.

Ex his igitur constat, aliquam saltem affinitatem intercedere pellagram inter, & lichenosam hujusmodi affectionem. Tussis enim, sapor muriaticus, dolores utrisque sunt communia symptomata. Addendum his est, me sæpe observasse pellagrosorum filios lichenibus affici, & contra e lichenosis natos pellagræ morbo non raro tentari. Ergo concludendum, aliquos adesse probabilitatis gradus, acrimoniam, quæ lichenosam hujusmodi affectionem constituit, non longe ab ea discedere, e qua pellagra ducit originem.

Hæc sunt, quæ, ut demandatum mihi munus exequerer, adhuc collegi. Inceptum laborem enixius prosequar, et si meliora quis interim edocuerit, in ejus sententiam concedere non erubescam.

FINIS

pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
3	ulti.	Sydendamio	Sydenhamio
11	12	Fomara	Fornara
11	13	die 26. julii ingressa	die 26. julii 1784. ingreſſa
17	6	accedenti	accedente
19	19	rosato, quem	rosaceo, quod
20	15	molesta tussi, purulenta	molesta tussi purulenta
22	1	pectusque	sectusque
23	25	incrassantia, linctus, aut tabellæ forma, in ore	incrassantia linctus, aut tabellæ forma in ore
30	12	fuit	fluit
45	5	desqumationem	desquamationem
74	22	fuerunt	fuerant
75	2	Canzi	Campi
75	7	abietis decoctum	abietis summitatum decoctum
88	10	obturamentum	obturatio
90	20	poſtergatica	posterganea
94	21	quadragesies	quadragies
105	22	hic	hinc
116	9	Gomova	Gornova
119	9	junio	januario
125	12	enimi	enim
125	22	omnimode	omnino
144	4	nunc autem	nunc cutem
150	6	omnimoda	omnino
174	4	semper	sæpe
180	21	& gravior	at gravior

Præter hæc ob summam, qua auctor hæc collegit festinationem plura irrepserunt a nonnullis forte notanda, ut *extus* pro *extrinsecus*, *furfuracea* pro *furfurea*, aliaque innumera, quæ lectoris humanitati committuntur. Præcipua vero sic corrigi possunt.

pag.	lin.		
66	5	e lecto residere	e lecto surgere
93	14	æger lecto considere	æger lecto detentus natibus insistere
97	15	si residere	si erigi
100	25	leɛto residere	e lecto se erigere
131	20	ne residere quidem	ne per minutum quidem natibus insistere

